871
Q5.Yc

# QUAESTIONES QUINTILIANEAE

SCRIPSIT

**JOANNES D. D. CLAUSSEN**
DR. PH.

---

Commentatio ex annalium philologicorum supplemento sexto seorsum expressa.

LIPSIAE,
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXIII.

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig.

Soeben ist erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

Historische

# Aufsätze und Festreden

von

**Arnold Schaefer.**

gr. 8. geh. Preis 2 Thlr. 12 Ngr.

Der Verfasser der größeren, historischen Werke über „Demosthenes und seine Zeit" und „die Geschichte des siebenjährigen Krieges", giebt hiermit eine Auswahl seiner kleineren Schriften. Jede derselben bildet eine in sich abgeschlossene Schilderung, zum größten Theile Lebensbilder aus dem Alterthum und der vaterländischen Geschichte. Der Band enthält folgende Aufsätze und Reden:

1. Die Bedeutung des Studiums der alten Geschichte für die Geschichte. 2. Welthandel und Seemacht der Phönicier und Griechen. Ein Bild aus dem Verkehrsleben des Alterthums. 3. Winckelmann. Die Entwickelung der hellenischen Kunst im Verhältniß zum Volksleben. 4. Die Landgrafen von Thüringen. Ein Bild deutschen Lebens aus dem Zeitalter der Kreuzzüge. 5. Die Hansa der Deutschen. 6. Friedrich Wilhelm der große Kurfürst von Brandenburg als Vertreter der deutschen Interessen. 7. Graf Brühl und Friedrich der Große. Die sächsische Cabinetspolitik vor dem siebenjährigen Kriege. 8. Der Ursprung des siebenjährigen Krieges nach den Acten des österreichischen Staatsarchivs. 9. Französische Friedensanträge an Preußen vom Jahre 1758. 10. Schiller als Nationaldichter. 11. Rede zur Feier von Arndt's hundertjährigem Geburtstage. 12. Wilhelm's I königliche Grundsätze (1861). 13. Die überkommenen Aufgaben des preußischen Staats (1866). 14. Die Hohenzollern und die deutsche Marine (1869). 15. Norddeutsch, Süddeutsch und Undeutsch (1872).

---

In demselben Verlage sind erschienen:

**Schaefer, Arnold,** Dr. ph., Professor der Geschichte an der Universität Bonn, **Demosthenes und seine Zeit.** Drei Bände. gr. 8. 1856—1858. geh. 10 Thlr. 10 Ngr.

——— **de sociis Atheniensium Chabriae et Timothei aetate** in tabula publica inscriptis commentatio. 4. 1856. geh. 8 Ngr.

——— **de ephoris Lacedaemoniis** commentatio. 4. 1856. geh. 6 Ngr.

——— **de rerum post bellum persicum** usque ad tricennale foedus in Graecia gestarum temporibus. gr. 4. 1865. geh. 10 Ngr.

——— Abrisz der Quellenkunde der griechischen Geschichte bis auf Polybios. Zweite Auflage. gr. 8. 1873. geh. 20 Ngr.

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

# QUAESTIONES QUINTILIANEAE

SCRIPSIT

Johann
**JOANNES D. D. CLAUSSEN**
DR. PH.

---

Commentatio ex annalium philologicorum supplemento sexto seorsum expressa.

LIPSIAE,
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXIII.

Paginarum numeri sunt supplementi sexti annalium philologicorum.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

871
Q5.Yc

# QUAESTIONES QUINTILIANEAE

SCRIPSIT

**JOANNES D. D. CLAUSSEN**

DR. PH.

# I.

Postquam egregia Caroli Halmi industria fundamenta, quibus hodierna operis Quintilianei memoria nititur, detecta sunt, facilior aditus arti criticae datus est expoliendo atque radendo pristinum splendorem monumento Quintilianeo redditurae. Quo in certamine si quid recentes vires meae profecisse videbuntur, valde laetabor.

Libri, quibus Quintiliani institutio oratoria servata est*), optimi sunt Bernensis (*Bn*) et Ambrosianus (*A*). Qui codices cum quasi duae unius radicis stirpes sint, utriusque par ubique ratio est habenda. Etenim nonnunquam in uno Bernensi vera lectio exstat, interdum solus Ambrosianus, quamvis neglegentius scriptus sit, genuinam scripturam habet. Praeterea in Ambrosiano manus alterius (*a*) vestigia exstant, cuius multis locis summa est auctoritas. Ubi haec subsidia deficiunt, deteriores libri adhibendi sunt, inter quos est Bambergensis *G*, eiusdem familiae atque Ambrosianus, deinde ille codex, quo alter Bambergensis *Bg* librarius (*b*) usus est cuiusque lectio modo cum prioris, modo cum alterius Ambrosiani manus scriptura consentit; sequuntur et alii et libri Argentoratensis (*S*) Monacensis (*M*) Lassbergianus (*L*).

Variis autem mendis omnes codices Quintilianei affecti sunt; nam et singula verba corrupta et universae sententiae mutilatae et ineptae interpolationes orationis contextui insutae sunt. Quorum vitiorum pauca tollere in hoc libello conabor.

I 4, 16. In grammatica libri primi parte Quintilianus a litteris exorsus postquam nonnullas mutationes tetigit ‘Quid *o* atque *u*’ inquit ‘permutata invicem? ut Hecoba . . et Pulixena scriberentur ac . . dederont et probaveront; sic Ὀδυσσεύς, quem Ὑλυσσέα**) fecerant Aeoles, ad Ulixen deductus est’. Aeolicum nomen et in codicibus et in editionibus variat. Nexu autem verborum satis elucet Quintiliani sententia, qua ut alia multa (1, 6, 31), ita Ulixis quoque nomen ab Aeolica loquendi ratione declinatum esse putatur. Atqui

*) Cf. Halmi praefatio et eiusdem dissertatio in actis academiae Monacensis 1869, II p. 13 sq.

**) ‘Olyssea’ A., sed ‘olys’ in rasura maiore; ‘dissea’ Bn; ‘odissea’ deteriores libri. Varias illius nominis species enumerant Schneidewinus Ibyci rel. p. 139 sq. et Prellerus mythol. roman. p. 664 adnot. et W. Roscherus in Curtii studiis grammaticis IV p. 196 sq.

quoniam de *o* et *u* litteris invicem permutatis noster loquitur, prima Aeolicae formae nulla alia nisi o littera fuisse potest. Itaque neque lectionem Οὐδυccéα, quam Spaldingius et Bonnellius exhibent, defensum eas neque Regii Ὑδυccéα aut Christii Ὑλυccéα. Contra non omnino spernenda est codicis Ambrosiani scriptura Ὀλυccéα, quod nomen olim exstitisse Eustathius testatur ad Iliad. II p. 289, 39 „καὶ ὁ Ὀδυcceὺc δέ που Ὀλυcceὺc καὶ ἡ Ὀδυcceία Ὀλυcceία". Quamquam haec lectio omnibus numeris absoluta non est. Nam si vera esset, praeter οδ litteras ceterarum mutatio neglegeretur. Accedit quod 1, 5, 63 veteres Romani, qui Graecis nominibus declinationem Latinam dederint, 'Ulixi et Achilli' genetivos fecisse dicuntur; quae verba demonstrant Graecum nomen Romano similius fuisse. Re autem vera ex Siciliensi 'Οὐλίξης', quod Plutarchus laudat (vit. Marcelli 20 'τὰ δὲ Οὐλίξου τουτέcτιν Ὀδυccέωc'), Romanum translatum est. Contra ex Graeco 'Οὐλιξεύc' ductum esse Romanum 'Ulixes' Priscianus statuit 6, 91 p. 276. (1, 53 p. 39) *H.* „In eus Graeca sunt et us in *i* mutantia faciunt genetivum: hic Tydeus Tydei. In huiuscemodi tamen terminatione quaedam inveniuntur mutatione eus diphthongi in es longam prolata, ut Ἀχιλλεύc Achilles Περcεύc Perses Οὐλιξεύc Ulixes; in quo Dores sequimur, qui pro Φυλεύc Φύλης, pro Ὀρφεύc Ὄρφης et Ὄρφην dicunt, pro Τυδεύc Τύδης etc.". Certis igitur testimoniis habemus probata nomina Οὐλίξην et Οὐλιξέα, quorum alterum 'Οὐλίξης' verbis nostri 1, 5, 63 excluditur, alterum prima syllaba mutata Aeolici nominis partes suscipiet. Restituendum enim est „Sic Ὀδυcceύc, quem Ὀλιξέα fecerant Aeoles, ad Ulixen deductus est". Hac demum scriptura, cui etiam librorum auctoritas favet, oratio iusto ordine progreditur. Neque mera coniectura illa nominis species nititur, sed satis firmatur loco Diomedis p. 321, 30 *K* „Praenomen est, ut ait Ibycus, Olixes, nomen Arsiciades, cognomen Odyseus et ordinantur sic: Olixes*) Arsiciades Odyseus polytlas".

I 4, 27. Litteris pertractatis postquam ad partes orationis transiit Quintilianus § 27 sq. de verborum declinatione loquitur. Ea autem, quae trita et vulgaria sint, leviter tangit, deinde ad remotiora sic progreditur: „Iam quosdam illa turbabunt, quae declinationibus non *tenentur***). Nam et quaedam participia *an verba* an appellationes***) sint dubitari potest, quia aliud alio loco valent ut lectum et sapiens, *et*†) quaedam verba appellationibus similia ut fraudator nutritor". Hoc loco „Quaedam 'participia' an 'verba' an 'appellationes' sint dubitari potest" Ambrosiani quidem codicis est

*) 'olixis' et 'olixes' Parisinus A et Monacensis; 'u.lixis' et 'ulixis' Parisinus B; 'Οὐλίξης' Schneidewinus l. l.; 'Ὀλυcceύc vel Ὀλιξεύc' Bergkius poet. lyric. ² p. 765.

**) 'tenentur' S; 'teruntur' A Bn.

***) 'an verba an appellationes' A; 'an verbi appellationes' Bn; 'an verba appellationes' M.

†) 'et' inser. Keilius.

scriptura. Attamen 'verborum' mentio ferri non potest. Primum enim ea notio, qua omnia, per quae sermo nectatur, 'verba' appellantur (1, 5, 2), a nostro loco abhorret. Ac ne illa quidem licentia admissa, qua § 27—29 una cum verbis participia tractantur, quidquam proficimus. Nam si participium verbo subicitur, utrum participia an verba sint sapiens et lectum, quaeri non potest. Restat propria notio, qua verbum a participio segregatur (1, 4, 19. 1, 5, 2. 9, 3, 9 „utimur et verbo pro participio 'magnum dat ferre talentum' tamquam 'ferendum' et participio pro verbo 'volo datum"). At nulla locutio, nedum illa sapiens et lectum, modo participii modo verbi vim obtinet. Itaque codicis Ambrosiani scriptura stare non potest. Omni autem sensu caret libri Bernensis „Quaedam 'participia' an 'verbi appellationes' sint dubitari potest". Neque minus perversa est Zumpti coniectura scribendum „quaedam participia 'verba' an 'appellationes' sint dubitari potest". Nam, ut de verbi vi taceam, appellationis finibus participium non comprehenditur, sed utraque est pars orationis. Quae cum ita sint, e scriptoris nostri manu prodiisse credo haec verba sola: „Quaedam 'participia' an 'appellationes' sint dubitari potest, quia aliud alio loco valent ut lectum et sapiens".

Nunc periculum faciam emendandi lectionem vulgatam „Iam quosdam illa turbabunt, quae declinationibus non tenentur". Quam Spaldingius quidem ita interpretatur „h. e. quae flexione ipsa non sunt manifesta, quo pertineant". Halmius contra adscita optimorum librorum scriptura 'teruntur' restitui vult „quae declinationibus non cernuntur". Equidem valde haereo in ea sententia, quam uterque interpres hoc loco agnoscit. Nam 'declinatio' non idem valet quod 'terminatio'. Dicat tamen aliquis de verborum exitu Quintilianum infra loqui. Quod non nego; sed hac ipsa de causa solvendum est artum vinculum, quo verba 'Nam et quaedam etc.' cum eis, quae antecedunt, conligata existimantur. Neque illi sententiae coniunctionis 'nam' significatio obstat, qua voce interim argumentum adiungitur, interim res gravior inducitur, veluti 1, 7, 10 („nam *k* quidem in nullis verbis utendum puto etc.") 1, 5, 21. 67. 10, 13. 2, 21, 9. 5, 11, 39. 3, 6, 8 („harum porro plerumque levissima quaeque quaestio primo loco fungitur. namque et illud frequens est ut ea, quibus minus confidimus, cum tractata sunt, omittamus".) 5, 10, 31 („nam et illud apud Euripiden frigidum sane, quod nomen Polynicis ut argumentum morum frater incessit"). Eadem notio nostro loco valet. Simul autem intellexeris ante haec „quaedam verba appellationibus similia" alterum „*et*" inserendum non esse. Contra defendi vix potest illa librorum scriptura „quae declinationibus non teruntur", cui una littera mutata hanc substitui velim „quae declinationibus non *feruntur*"; cf. 1, 5, 58 „Inde illa quaestio exoritur an eadem ratione per casus duci externa qua nostra conveniat"; 64 „quae poterunt utroque modo (et Graeco et Latino) non indecenter efferri"; 16 „pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur".

Quae si vera est coniectura, Quintilianus ea verba significat, quae declinari omnino non possint. Quale est 'cedo' laudatum a Diomede, ubi de defectivis loquitur, p. 346, 16 K 'cedo non habet nisi secundam personam praesentis temporis et est imperativus modus' et ab excerptore Charisii p. 563, 29 K 'cedo . . secundae tantum personae est'.

Universi igitur loci hanc scripturam elicio: 'Iam quosdam illa turbabunt, quae declinationibus non feruntur. Nam et quaedam «participia» an «appellationes» sint dubitari potest, quia aliud alio loco valent ut lectum et sapiens; quaedam «verba» «appellationibus» similia ut fraudator nutritor'.

I 5, 6. Capitis quinti initio priorem artis grammaticae partem, id est recte loquendi scientiam, adgressus Quintilianus § 6 de barbarismo ait: 'Occurrat mihi forsan aliquis . . quis hoc nescit alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo; . . illud prius adiectione detractione immutatione transmutatione, hoc secundum divisione complexione *adspiratione* sono contineri?' Hoc loco extrema verba gravi vulnere laborant. Barbarismis enim qui in dicendo fiant § 17 sq. subiciuntur vitia, quae oriantur divisione complexione (17) spatio (18) sono (19—33). Sonorum autem species et adspiratio (19—21) et adcentus (22—31) et alii soni (32—33) vocantur. Itaque nostro loco scribendum erit: 'hoc secundum divisione complexione *spatio* sono contineri'.

I 5, 7. Paragrapho sequente vulgata est lectio: 'Doctiores multa adicient, vel hoc primum quod barbarismum pluribus modis accipimus. Unum gente, quale est, si quis afrum vel hispanum latinae orationi nomen inserat. . . Alterum genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura: ut is, a quo insolenter quid aut minaciter . . dictum sit, barbare locutus existimatur. Tertium est illud vitium barbarismi, cuius exempla vulgo sunt plurima etc.' Horum verborum et sententia mira et structura perversa est. Primum enim scire velim, ubi inveniatur communis illa consuetudo, qua aut qui afrum vel hispanum latinae orationi nomen inseruerit aut qui insolenter vel minaciter locutus sit, admisisse barbarismum dicatur. Immo alter vocabulo barbaro usus est; alter, ut ipse Quintilianus ait, barbare locutus existimatur. Deinde valde offendo in illa locutione 'tertium est illud vitium barbarismi'. An 'barbarismi vitium' idem valet atque 'genus barbarismi'? Denique mihi dicas, quo tandem spectet illud neutrius generis pronomen 'quale'. Prorsus enim aliud est, quod legitur § 42 'Quamquam fuerunt, qui nobis quoque adicerent dualem «scripsere legere»: quod evitandae asperitatis gratia mollitum est . . Ideoque quod vocant dualem, in illo solo genere consistit'. Immo ut exstat § 17 'Quod (vitium) nos complexionem dicamus, qualis est apud P. Varronem etc.', ita nostro loco dicendum erat 'qualis est (sc. barbarismus)'. Quodsi quaeras qua via hae difficultates tollantur, recipi iubeo codicis Bernensis scripturam 'Doctiores multa adicient. Vel hoc primum, quod *barbarum* pluribus

modis accipimus: unum gente, quale *sit* . . Alterum genus *barbari* accipimus, quod *fiat* animi natura'. Deinde tertium barbari genus vocatur 'illud' — scilicet supra commemoratum — 'vitium barbarismi'; cuius elocutionis similis est § 46 'Soloecismi porro vitium non est in sensu, sed in complexu'.

I 5, 12. Musei Rhenani vol. 22 p. 598 sq. Fr. Ritschelius praeter alios locos Quintilianeos tractat illius verba I 5, 12 'At in eadem vitii geminatione Metioeo Fufetioeo dicens Ennius poetico jure defenditur'. Et Ennianos quidem genetivos 'Metioeo Fufetioeo' librorum auctoritatem secutus iure recipit; contra traditam scripturam '*at in eadem vitii geminatione*' immerito mutat. Statim autem ipsam rem aggrediar omissis eis, quae imprimis contra Buechelerum profert; nam huius consilium aliud fuisse atque Ritschelio visum est infra elucebit. Primum igitur sententiarum nexus qui sit paucis exponam. Inde a § 10 Quintilianus de 'vitio barbarismi' loquitur. Id autem genus quod una loquendo et scribendo fiat, § 10—17 tractatur; deinde § 17 sq. alterum sequitur quod dicendo solo deprehendatur. Prioris generis species quattuor § 6 significatae sunt adiectio detractio immutatio transmutatio. Eadem partitio iteratur § 10 ('ut verbo . . adiciat litteram syllabamve vel detrahat aut aliam pro alia aut eandem alio quam rectum est loco ponat'). Deinde barbarismi in prosa oratione recepti exempla § 13 afferuntur; et hic quoque singula cuiusque speciei exempla laudantur: immutationis Ciceronianum 'Canopitarum', deinde transmutationis forma 'Trasumennus', tum detractionis illud 'adsentio', denique adiectionis 'adsentior'. Contra in paragraphis, quae antecedunt, 11 et 12 Quintilianus exempla quaerit, quae re vera sint vitiosa: atque duos vituperat barbarismos, qui in prosa oratione admissi sint, duo profert vitia, quae in carmine sint deprehensa nec tamen poetae crimini vertenda. Hanc totius partis dispositionem si memoria tenebis, facile intellegas Ritschelium errare, cum verba 'in eadem vitii geminatione' ad praegressa non aliter referri posse contendat, nisi ut vitia modo vituperata, id est litterarum immutatio et transmutatio, respiciantur. Nam, ut dixi, § 10 sq. Quintilianus in 'vitio barbarismi' versatur; itaque 'vitii geminatio' idem valet quod 'geminus barbarismus'. Atqui si quaeras, quo pronomen 'idem' spectet, protinus in oculos incurrent verba 'nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinga Placentinus'. Itaque utriusque enuntiati initium sibi respondet: qua re mihi nihil manifestius esse videtur. Idem statuerunt Bergkius in Fleckeiseni Annalibus 83 p. 328 (cf. Ritschel. Mus. Rhen. 23 p. 218) et Buechelerus de declinatione Latina p. 54. Re autem vera in genetivis Ennianis 'Metioeo Fufetioeo' bini barbarismi insunt, scilicet non litterarum quidem, sed syllabarum (§ 10) et immutatio et adiectio. Nam ex Quintiliani doctrina (§ 23) iustae sunt formae 'Metii Fufetii'. Poterat igitur altero utro genetivo contentus esse: et id ipsum, nisi fallor, Buechelerus l. l. voluit. Cuius coniectura scribendum esse 'Metti Fufetioeo', si omittis librorum auctoritatem,

ea sola re infringitur, quod ex Quintiliani sententia non aequo iure et duplex et simplex i littera in genetivo usurpari potest. Attamen praepositionem 'in' ferri posse Ritschelius negat. Sed ecce verba Quintilianea 1, 5, 45 'Huic parti subiungantur licet (soloecismi) per comparationes et superlationes itemque in quibus patrium pro possessivo dicitur vel contra'. Quae cum ita sint, nihil mutandum erit; nam pronomen 'idem' ad praegressum 'duos in uno nomine faciebat barbarismos' referendum est atque 'barbarismi geminatio' in singulis genetivis 'Metioeo Fufetioeo' invenitur.

Postquam librorum scripturam, quantum ego sentio, ab omni suspicione liberavi, omittere poteram Ritschelii coniecturam, qua scribendum esse censet 'At enim adeo vitii geminatione Metioeo Fufetioeo dicens'. Pauca tamen addam. Primum enim propter universam loci condicionem tolerari vix posset, quod Quintilianus duplicem illum barbarismum, qui in singulis verbis Ennianis admissus est, unius vitii appellatione complecteretur. Praeterea elocutio 'at enim' non quadraret. Nam, id quod ex locis lexici Bonnelliani p. 88 collectis elucet, a scriptore nostro illa non usurpatur, nisi ubi alterius personae sententiam affert; cf. 1, 2, 15: 'At enim emendationi numerus obstat. Sit incommodum, . . mox illud comparabimus commodis'. 3, 6, 76: 'At enim simile est illi «habeo ius, non habes» occidisti, recte occidi. Non nego, sed nec haec res statum facit'. 3, 8, 24: 'At enim, si quis liberos procreare volet, necesse habet ducere uxorem. Quis dubitat? sed etc.' 4, 2, 82. 5, 13, 30.

I 5, 25. Barbarismus, qui per sonos fiat, § 19—33 tractatur; illius species producuntur et vitia adspiratione (§ 19—21) atque accentibus (22—31) orta et errores oris linguaeque, qui sint ἰωτακισμός λαβδακισμός alii (32—33). Ipsa autem accentuum pars in duo membra dirimitur verbis § 25 '*Haec de accentibus tradita*'. Quae Spaldingius quidem sic explicat: 'Haec adhuc solita sunt a magistris tradi. Protinus quid novatum sit, est prodituras'. At num nova sequuntur? Nonne § 26 et § 29 sq. de vetere sermonis Latini lege Quintilianus loquitur? Praeterea quia antiqui nihil aliud tradere dicerentur, nisi vitium esse si syllaba acuta et gravis aut flexa et gravis alia pro alia ponantur, inani tumore illa sententia adiungeretur, quae in tradita scriptura latere Spaldingio visa est. Contra aliquatenus comparari possunt similes loci, qui in singularum partium fine exstant, ut 1, 4, 17 'Sed mihi locum signare satis est: non enim doceo, sed admoneo docturos'; 1, 5, 54 'Hactenus de soloecismo: neque enim artem grammaticam componere adgressi sumus' 1, 6, 27 'Ac de analogia nimium'. 1, 7, 1. 32. 1, 10, 1. 1, 5, 17. 33. etc. Quibus locis collatis nostro requirere aliquis possit eiusmodi sententiam 'Haec de accentibus tradita sint' vel 'sufficiant'. Sed haec sententia, si quidem librorum scripturae inesse posset, in exitu proferenda erat, non in media disputationis via. Ac ne in fine quidem posita bene se haberet. Nam cum accentus sonis subiciantur, sonorum autem vitia barbarismis in dicendo admissis, omnis turbaretur

concinnitas, si uni speciei eiusmodi conclusio adderetur. Immo veluti singulis partibus tituli in codicibus praefixi sunt, sic nostro loco nescio quis magistellus inepta interpolatione finem signaturus fuisse videtur.

I 5, 31. Quibus legibus accentus in sermone Latino teneantur, Quintilianus § 30 sq. explicat. 'Namque' inquit 'in omni voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae sive ultimae et in iis aut proxima extremae aut ab ea tertia. Trium porro, de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit, eodem loco brevis utique gravem habebit sonum ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet. Est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una nec unquam ultima, ideoque in disyllabis prior, praeterea nunquam in eadem flexa et acuta, *quoniam est in flexa et acuta.* Itaque neutra cludet vocem latinam: ea vero, quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa, *ne sit aliqua vox sine acuta*'. Hoc loco verba '*quoniam est in flexa et acuta*' mera coniectura nituntur. Nam in libro Ambrosiano omittuntur, contra codex Bernensis et huius libri apographum Bambergense exhibent 'praeterea nunquam in eadem flexa et acuta qui in eadem flexa et acuta'. Atqui haec manifesta est dittographia. Itaque non corrigenda, sed delenda sunt verba, nisi haec ratio certis argumentis refellatur. Nihili autem sunt Langeniana in Philologo 31 p. 120 prolata. Quorum tria uno ictu corruunt, quia nulla interpolatio, sed mera dittographia statuenda est. Neque quarto argumento ulla vis inest. Contendit quidem Langenius illa 'Itaque neutra cludet vocem Latinam' omni sensu carere, si praegressa omittantur 'quoniam eadem flexa et acuta'; huius enim lectionis vulgatae, quae neque ullo libro firmatur neque, si quid video, Latina est, mirus exstitit defensor*). Attamen quo modo recepta codicis Ambrosiani scriptura sententiarum ordo mancus fiat, equidem non assequor. Nam quoniam non pueris praecepta dat, sed ipsos grammaticae artis doctores sui officii commonet (1, 4, 17), Quintilianus sat manifesto § 30 flexo sono solam paenultimam concedit. Deinde § 31 acuto syllabam ultimam negat. Itaque iure colligit vocem latinam, quae plurium syllabarum sit, neutro accentu cludi. Quae verba cur addantur, facile est intellectu. Nimirum vocabulorum, quae plures syllabas habent, syllaba ultima ad voces monosyllabas lenem transitum parat.

Altera est quaestio, num omnino stare possit sententia Langenii (l. l.) atque Christii (in Philologo 18 p. 182) Quintilianum ultimae

*) Hac scilicet via, ni fallor, ratiocinationem Quintilianeam progredi existimat: 'Acuta . . nunquam ultima; . . eadem flexa et acuta; itaque neutra cludet vocem Latinam'. Nam illud 'quoniam eadem flexa et acuta' sic interpretatur p. 119: 'Die Worte können nichts anderes bedeuten, als dass Acut und Circumflex den nämlichen Accent bezeichnen, der nach unserer Erklärung auf kurzen Vocalen (i. e. in syllabis positione longis) Acut, auf langen (i. e. in syllabis natura longis) Circumflex heisst'.

syllabae nulla ratione habita omnibus paenultimis, quae natura longae sint, sonum flexum dedisse. Quod si verum esset, plane alia Quintilianea, alia grammaticorum aetate inferiorum esset doctrina, qui uno ore docent flecti quidem paenultimam natura longam, si ultima brevis, at eandem acui, si ultima natura longa sit. (Maximus Victorinus p. 193, 13. Sergius in Donat. 525, 7. Donatus 371, 21. Diomedes 431, 29 K; cf. Corssenus de pronunt. II² p. 801.). Tam gravis autem discriminis argumentum Langenius ex ea re petivit, quod Quintilianus illam ceterorum grammaticorum legem nullo verbo tangat. At cum non artem grammaticam se compositurum, sed gravissimas res solas se tractaturum esse ipse profiteatur (1, 4, 17. 5, 54. 10, 1), ex illo silentio nihil concludi potest. Certa autem via patet, qua Quintiliani doctrina cognoscatur: nimirum exempla, quae ab illo laudantur, examinanda sunt. Quorum duo Langenius affert: e paragraphis enim 22 et 23 apparet Quintilianum 'Camíllus' media acuta, contra 'Cethêgus' media flexa pronuntiasse. Quibus exemplis coniectura Langeniana neque refutatur neque firmatur. Sed alia restant. Primum enim illam sententiam eo firmari fortasse aliquis dicat, quod Quintiliani aetate in genetivis Atrêi et Nerêi et Terêi paenultima syllaba flexa sit (§ 24). Atqui et barbarismus hic usus a Quintiliano vocatur neque vetus illa sermonis Latini lex, quae § 30 sq. traditur, etiam ad Graeca vocabula spectat. Quod si volebat noster illam quoque consuetudinem sollemnem commemorare debebat, qua 'tyrannus' et 'Olympus' acuta prima syllaba pronuntiabantur (§ 62). Itaque hoc exemplum nil valet; iam videamus postremum — nam illud 'volúcres', quod § 28 ex Vergilio affertur, omitto — eliciendum ex verbis § 27: 'Nam cum dico «circum lítora» tamquam unum enuntio dissimulata distinctione, itaque tamquam in una voce una est acuta; quod idem accidit in illo «Troiae qui primus ab óris*)'. His verbis Langeni doctrina prorsus refutatur, qua vocis 'oris' prior syllaba, quae natura, non positione longa est, non acuenda, sed flectenda erat. Itaque inter Quintilianum et ceteros grammaticos in hac parte nulla est discordia.

Loco autem Quintilianeo, quem supra posui, etiam gravior difficultas tollenda est. Summam enim suspicionem verba postrema movent '*Ne sit aliqua vox sine acuta*', quae in Ambrosiano codice altera manu addita sunt. Nam aliud est, quod Sergius in Donatum ait p. 531, 22 K (Varronis de sermone Latino 3 p. 191, 12 Wilmanns.) 'Verum ea nunc ab omnibus περισπωμένη graece vocatur, apud nos flexa, quoniam primo erecta rursus in gravem flectitur' et p. 532, 21 K (p. 193, 1 W.) 'Flexa autem prosodia, quod duplex est et ex acuta gravique ficta, notam habet nomini potestatique respondentem'. Neque illa scriptura defendi potest collatis verbis Ciceronis in Orat. 18, 58 — qui accentum flexum utrum noverit

*) De ultimorum verborum accentu nostrum loqui iure monet Corssenus de pronunt. II² p. 862 adnot.

necne nunc non quaerimus — 'In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendae suavitatis in vocibus: ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem nec una plus nec a postrema syllaba citra tertiam'. Nam Quintilianus, qui grammatici partes nostro loco subiit, tam vaga appellatione usus esse non potest, ut quasi uno spiritu et syllabam proprie ὀξεῖαν et omnem syllabam voce erectam acutae nomine signaret. Neque altero loco haec acuti soni notio invenitur; immo eadem ratione, qua universa vox tripertita vocatur 11, 3, 17 'Utendi voce multiplex ratio. Nam praeter illam differentiam, quae est tripertita, acutae gravis flexae etc. (cf. Cicer. Orat. 17, 57)' — eadem ratione in singulis syllabis soni acutus gravis flexus acriter ubique distinguuntur*). Itaque huius enuntiati sententia admodum mira est. Ac ne verba quidem bene se habent. Nam insolita est illa dicendi varietas, qua primum vox, deinde verba, postremo denuo vox latina tractatur in his: 'Itaque neutra cludet vocem Latinam — ea vero, quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa — ne sit aliqua vox sine acuta'. Qua de causa mihi persuasum habeo insitiva verba altera Ambrosiani manu illata esse.

I 5, 32. Paragrapho sequente libri Bernensis est scriptura: 'Et illa per sonos accidunt, quae demonstrari scripto non possunt, vitia oris et linguae: ἰωτακισμούς et λαβδακισμούς . . feliciores fingendis nominibus Graeci vocant'. Contra Ambrosianus et Bambergensis manus secunda (b) non ἰωτακισμούς exhibent, sed 'miotacismus'. Utraque lectione recepta haec scriptura efficietur: 'ἰωτακισμούς et μυτακισμούς et λαβδακισμούς', quae tria vitia iuncta explicare et vituperare grammatici solent; cf. Diomedes p. 453, 3 sq. Donatus p. 392, 27. Servius 445, 7 sq. Pompeius 286, 6 sq. (298, 23) Consentius 394, 5 sq. K. Isidor orig. 1, 31, 5—9. Martianus Capella p. 514 (279) K.

I 5, 33. 'Remotis igitur omnibus, de quibus supra diximus, vitiis erit illa quae vocatur ὀρθοέπεια, id est emendata cum suavitate vocum explanatio: nam sic accipi potest recta'. His in verbis vel id offendet, quod solum adiectivum Graecum Latina voce redditum est. Nam quas ex Graecorum arte rhetorica vel grammatica affert appellationes Quintilianus latina lingua interpretari solet. Atque ipse verborum nexus laceram esse codicum scripturam demonstrat. Nam si illud 'recta' sic accipitur, ut sit 'emendata cum suavitate', altera pars compositionis '— επεια' prorsus idem valeat necesse est atque 'vocum explanatio'. Quod neminem adfirmaturum credo (cf. 11, 3, 33 'Ut est autem necessaria verborum explanatio' — quae supra appellatur 'dilucida pronuntiatio' — 'ita omnes imputare litteras molestum'). Alteram viam Spaldingius ingreditur, qui tres illas virtutes 'puritatem, suavitatem, accurationem vel explanationem in pronuntiandis vocibus' adiectivo 'recta' solo con-

*) Flexus accentus laudatur 1, 5, 23. 24. 30. 31. 12, 10, 33.

cludi existimat. Sed hac interpretatione probata quod tandem substantivum ad illud ‘recta’ est supplendum? Satis igitur apparet substantivum Latinum in exitu verborum librariorum culpa excidisse. Atqui ἔπη ‘locutiones’ vocantur 1, 5, 2 atque 1, 6, 20 noster dicit ‘hanc quidam ὀρθοέπειαν solam putant, quam ego minime excludo. quid enim tam necessarium, quam recta locutio?’ Itaque nostro loco vera scriptura erit: ‘Nam sic accipi potest *recta locutio*’. Simili autem modo vocabulum Graecum et Latina voce redditur et pluribus verbis finitur 6, 1, 1 ‘Rerum repetitio et congregatio, quae graece dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibusdam Latinorum enumeratio’.

I 5, 62. Quintilianus postquam 1, 5, 60 sq. nonnulla nomina Graeca laudavit, quae a veteribus Romanis secundum suam rationem declinata sint, paragrapho 62 addit: ‘Inde Olympo et tyranno acutam syllabam mediam dederunt, *quia duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur*, sic genetivus Ulixi et Achilli fecit, sic alia plurima’. Causa, qua nominum Olympi et tyranni prosodia mutata dicitur, interpretibus merito displicuit. Primum enim verba ‘duabus longis sequentibus’ inepta sunt, quoniam in eis casibus, quibus ultima syllaba producta est, nulla discordia fuit. G. igitur Hermannus, cui Halmius et Keilius (II p. 367) adsentiuntur, haec tria verba delevit. At num illis sublatis cetera quadrant? Nonne vera est Spaldingi sententia ‘Verba «primam brevem» habent errorem; nihil enim refert, brevis an longa sit antepenultima, ad accentum constituendum’? Videas modo ipsius Quintiliani doctrinam § 30 prolatam ‘Trium porro, de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit, eodem loco brevis utique gravem habebit sonum ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet’. Itaque, siquidem causam addere volebat, Quintiliano fere haec erant dicenda ‘Quia, si paenultima longa est, antepaenultimam acui noster sermo non patitur’ (cf. Sergius in Donatum p. 527, 23: ‘Euándrum tyránnum . . paenultima acuta, quia positione longa est, proferimus Latinum secuti praeceptum’). Quamquam ne illud ‘patitur’ quidem sententiarum nexu satis recipitur; nam cum inde a verbis ‘quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat’, sola antecedant imperfecta, etiam nostro loco praeteritum potius, quam praesens tempus desideres. Hermanni igitur coniectura nihil lucramur; immo tota sententia a nescio quo interpolatore profecta est. Nam causa, qua Graecam prosodiam veteres Romani deseruerunt, Quintiliani aequalibus tam perspicua fuit, ut eodem iure, quo in genetivis Ulixi et Achilli, omitti posset.

I 6, 12. J. O. 1, 6, 12 olim vulgata fuit scriptura: ‘Quamquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit’. Quae lectio libris optimis non firmatur. Codex enim Bernensis habet ‘initia romanae urbis’, contra Ambrosianus ‘initia urbis romanae’. Neutra scriptura probanda est, sed ut multis aliis locis, ita nostro quoque varius verborum ordo orationem esse interpolatam demonstrat. Itaque vox ‘*Romanae*’ e textu est removenda.

Nota enim est sollemnis consuetudo, qua urbis appellatione Roma accipiebatur. Quem usum ipse Quintilianus 6, 3, 103. 8, 2, 8. 8, 5, 9 testatur quoque adhibito 6, 3, 17 et 5, 13, 40 Romam urbis nomine significat. Atque adeo 'de initiis urbis' Varronem scripsisse ex Quintiliani verbis Krahnerus collegit; contra ad libros 'rerum urbanarum' aut 'antiquitatum' Ritschelius illa rettulit (Mus. Rhen. 6 p. 511).

I 6, 22. Lexici Quintilianei p. 46 Bonnellius de dativo disserit, qui proprie Graecus vocetur vel qui vice praepositionis 'ab' ablativo iunctae fungi dicatur. Sed haec grammaticae Quintilianeae pars incohata, non absoluta est. Nam merito laudati sunt duo vel tres loci (8, 6, 31. 9, 4, 1. 1, 6, 22), ceteri partim male intellecti (7, 2, 53. 10, 1, 96), partim meliorum librorum ope hodie emendati (1, 7, 12. 4, 5, 18. 12, 1, 4). Certis autem finibus hic usus continetur neque illa licentia invenitur, quam nostro scriptori quidam et in hac et in aliis rebus grammaticis imputarunt. Primum enim 'probandi' verbo Quintilianus dativum adicit 1, 4, 20 'quae mihi non adprobantur'; 4, 1, 42. 11, 1, 68. 3, 7, 18; contra praepositio 'ab' usurpatur 4 Pr. 1. 1, 11, 17. 9, 4, 64. 87. Praeterea in 'habendi' verbo, si idem atque 'existimare' significat, nusquam praepositio 'ab' adscita videtur; sed dativus exstat 1, 8, 21 'ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur aliqua nescire'; 8, 6, 31. 9, 4, 16. Nunc ceteros locos afferam ita dispositos, ut similes sint coniuncti: 4, 1, 79 'Haec fere sunt mihi de exordio comperta'; 10, 1, 34 'Pleraque testimonia ex vetustate diligenter sibi cognita sumat'; 5, 7, 7 'Ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita'; 1, 6, 40 'Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta' (Adde locum Ciceronianum 2, 21, 6). 6, 4, 2 'Cuius rei fere omnis observatio in illo testium loco excussa nobis est'; 8, 3, 58 'Sed de hac parte et in alio nobis opere plenius dictum est et in hoc saepe tractatur'; 5, 12, 23 'Sed haec et in alio nobis tractata sunt opere et in hoc saepe repetenda'. 12 Pr. 2 'Dum tamen nota illa et plerisque artium scriptoribus tractata praecipimus'; ibid. 3 'Iam cum eloquendi rationem novissime repertam paucissimisque temptatam ingressi sumus'; 1, 8, 18 'Nam receptas aut certe claris auctoribus memoratas (historias) exposuisse satis est'; 4, 1, 71 'Quod . . vulgare dicitur. Id minus favorabile aliquando tamen non inutiliter adsumimus, magnis saepe oratoribus non evitatum'; 9, 4, 1 'Tullium, cui nescio an ulla pars operis huius sit magis elaborata'. Nisi fallor, hi loci sunt omnes, quibus Quintilianus dativo, ut aiunt, pro praepositione 'ab' usus est; cuius de notione conferatur Haasi adnot. ad Reisigi gramm. lat. 551 (p. 680) et Madvigi ad Ciceron. de finib. 1, 4, 11 et gr. lat. § 250a.

Consulto autem unum locum, quem Bonnellius affert, exclusi. Nimirum 1, 6, 22 et in codicibus et in editionibus haec leguntur: 'Ego tamen non alio magis angor, quam quod obliquis casibus ducti etiam primas sibi positiones non invenire, sed mutare permittunt,

ut cum ebur et robur, ita dicta ac scripta summis auctoribus, in o litteram secundae syllabae transferunt, quia etc.' Sed nescio quid discriminis inter hunc locum et eos, quos supra laudavi, intercedere mihi videtur. Nam sat fortis non est elocutio 'ita dicta ac scripta summis auctoribus', quoniam ipsa antiquorum auctoritate Quintilianus grammaticos refellere studet. Neque aliis locis, ubi singula vocabula tractantur, dativus usurpatur, sed a praepositio, veluti 1, 5, 52 'Quaedam tamen . . dici vitiosa non possunt, ut ludi Floralia ac Megalesia, quamquam haec sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter a veteribus dicta'; 1, 5, 22 'Tenores, quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi'; 1, 5, 61 'ab antiquorum plerisque Aenea et Anchisa sit dictus'; 1, 5, 15. 1, 6, 28 (1, 4, 18. 5, 11, 36). Itaque scribi malim: 'ebur et robur, ita dicta ac scripta *a* summis auctoribus'.

I 7, 2. Capitis septimi initio Quintilianus ad orthographiam his verbis transit: 'Nunc quoniam diximus, quae sit loquendi regula, dicendum quae scribentibus custodienda, quod Graeci ὀρθογραφίαν vocant, *hoc* nos recte scribendi scientiam nominemus. Cuius ars etc.' Quibus in verbis pronomen '*hoc*', quod Halmius recepit, non Quintiliano, sed codicis Ambrosiani librario tribuerim. Nam structura nimis dura fit. Neque illud legitur loco simillimo 1, 5, 17 'et ei contrarium vitium, quod συναίρεσιν et συναλοιφήν Graeci vocant, nos complexionem dicamus. Qualis est etc.'

Graviore vitio laborant quae sequuntur: 'Cuius ars non in hoc posita est, ut noverimus, quibus quaeque syllaba litteris constet . ., sed totam, ut mea fert opinio, suptilitatem in dubiis habet: *ut* longis syllabis omnibus adponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent, *sed* interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit . . et cum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus'. Nam in his omnino nulla structura inest. Perversus autem homo Quintilianus fuisset, si orthographiae officium cum apicis usu comparasset. Neque ulla similitudine usus est 1, 6, 38, ubi de etymologia ait 'Sed arte non egent, cuius in hoc opere non est usus nisi in dubiis'. Immo inde a verbis 'Ut longis syllabis omnibus adponere apicem etc.' in ipsis rebus orthographicis versatur: quod vel demonstrant verba § 4 'Similiter putaverunt illa quoque servanda discrimina'. Itaque memoratu sane dignum est nescio cuius conamen, qui in codice Gothano scripsit: 'ut longis syllabis omnibus adponere apicem ineptissimum est, *sic* interim necessarium'. Quam coniecturam Bonnellius recepit. Attamen neque sat placet comparatio in his 'Ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, sic interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum facit' et prorsus infringitur illa scriptura eo, quod vis adverbii 'sic' valeret etiam ad verba (§ 3) 'et cum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est,

utrum sequamur plerumque hac nota monendi sumus'. Mea sententia in priore membro vitium latet; quae suspicio quodam modo librorum discrepantia firmatur. Nam in Ambrosiano adverbii 'ut' prior littera in rasura scripta est, ut olim non 'ut', sed 'et' dittographia proximae syllabae ortum extitisse possit. Sed sive dittographia sive interpolatione in orationis textum irrepsit, adverbium '*ut*', quo tota sententia fit impedita, equidem eiecerim.

I 7, 6. Scripturam vulgatam si sequimur, Quintilianus § 6 dicit 'Frigidiora his alia, ut «quidquid» cquartam haberet, ne interrogare bis videremur et «quotidie» non «cotidie», ut sit quot diebus: verum haec iam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt'. Verborum tamen nexu haec lectio flagitatur 'et «quotidie» non «cotidie», ut *esset* quot diebus'.

I 7, 21. Orthographiae mutatae exemplum § 21 affertur 'Iam «optimus maximus» ut mediam i litteram, quae veteribus u fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum'. Hanc codicis Bernensis scripturam integram non esse Halmius sensit, qui legendum conicit 'primum in C. Caesaris inscriptione'. Keilius contra (II p. 367) pro 'inscriptione' numerum pluralem requirit collatis verbis Velii Longi p. 2228 P 'antiquis varie scriptitatum est mancupium aucupium manubiae, siquidem C. Caesar per i scripsit, ut apparet ex titulis ipsius, at Augustus per u, ut testes sunt ejus inscriptiones'. Sed neque una inscriptione neque titulorum copia, immo auctoritate Caesaris illa mutatio facta est; cf. Cornutus 2284 P 'maxumus an maximus — Terentius Varro tradit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere. Inde propter auctoritatem viri consuetudinem factam' et Quintil. 1, 5, 63 de Calypsus declinatione 'sed auctoritatem Caesaris consuetudo superavit'. Neque in Ambrosiano codice 'inscriptione' exstat, sed 'instructione'. Quae scriptura ut emendetur, similes loci conferantur, veluti 1, 5, 63 'nunc recentiores instituerunt graecis nominibus graecas declinationes dare'; 3, 2, 2 'curam dicendi inde coepisse, quod accuratius loqui instituerint'; 2, 4, 41 'fictas materias dicere circa Demetrium institutum constat'; 12, 2, 25. 1, 8, 5. 4, 1, 3. Certo igitur Quintiliani usu firmatam hanc lectionem restituo: 'Iam optimus maximus ut mediam i litteram . . acciperent, C. primum Caesaris *institutione* traditur factum'. Praenomen enim similiter praemittitur 9, 4, 57 'ne M. quidem Tullius'; 10, 1, 114 'C. vero Caesar'; 12, 11, 23 'M. igitur Cato' etc.

I 7, 22. Paragrapho sequente — 'Here nunc e littera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris invenio «heri ad me venit' — consuetudo Quintilianea postulat, ut neglecta librorum auctoritate scribatur '*in* libris'. Compara verba 1, 5, 21 'nam «mehe» quoque apud antiquos tragoediarum praecipue scriptores in veteribus libris invenimus'; 9, 4, 39 'quae (sc. «dice facieque») in veteribus libris reperta mutare imperiti solent'; 5, 11, 40 'Homeri versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur'; praeterea 1, 1, 15

'in quo libro scriptum hoc invenitur' et 4, 1, 19 'nam et in libris observationum a Septimio editis adfuisse Ciceronem tali causae invenio'. Neque alterum locum, ubi inveniendi verbum cum nudo ablativo iunctum sit, notatum video, nisi 8, 6, 64 'neque alio ceris Platonis inventa sunt quattuor illa verba . . plurimis modis scripta', ubi corrigendum esse 'in ceris' Halmius iure conicit.

III 1, 11. Libri tertii initio, quo eloquentiae oratoriae primordia et incrementa adumbrantur, § 8 sq. rhetorum Graecorum magna manus perlustratur, cuius primum ordinem Gorgias ducit. Gorgiae laudem haec verba excipiunt: 'Thrasymachus Calchedonius cum hoc (sc. fuit) et Prodicus Cius et Abderites Protagoras . . et Hippias Elius et . . Alcidamas Elaites. Antiphon quoque et orationem primus omnium scripsit et nihilo minus et artem ipse composuit et pro se dixisse optime est creditus, etiam Polycrates, a quo scriptam in Socraten diximus orationem, et Theodorus Byzantius, ex iis et ipse, quos Plato appellat logodaedalos'. Huius universi enuntiati structuram unius voculae lacuna turbavit. Etenim post haec 'Antiphon quoque' 'qui' pronomen inserendum est, ut scribatur: 'Thrasymachus Calchedonius cum hoc (sc. Gorgia fuit) . . et Alcidamas Elaites; Antiphon quoque, *qui* . . est creditus; etiam Polycrates, a quo scriptam orationem . . diximus; et Theodorus, ex iis et ipse, quos Plato appellat logodaedalos'. Deinde hos omnes Quintilianus complectitur verbis: 'Horum primi communes locos tractasse dicuntur Protagoras Gorgias, adfectus Prodicus Hippias etc.'

In eadem Antiphontis mentione Halmius codicis Ambrosiani scripturam recepit 'et orationem primus omnium scripsit et nihilo minus *et* artem ipse composuit et pro se dixisse optime est creditus'. Quae lectio displicet, quia nulla est causa, cur postrema membra coniuncta priori opponantur. Contortam autem verborum collocationem efficit codicis Bernensis scriptura, Spaldingio et Bonnellio probata: 'et nihilo minus artem *et* ipse composuit'. Mea sententia molestum illud '*et*', quod ne certam quidem sedem obtinuit, delendum est.

IV 1, 32. Eadem medicina adhibenda erit 4, 1, 32, ubi Demosthenis pro Ctesiphonte oratio his verbis commemoratur: 'Adicit Theophrastus ab oratione principium, quale videtur esse Demosthenis pro Ctesiphonte, ut sibi dicere suo potius arbitrio liceat rogantis, quam eo modo, quem *actione* accusator praescripserit'. 'Actione accusator' in Ambrosiano codice exstat; inverso ordine 'accusator actione' Bernensis exhibet. Neutra scriptura genuina est. Nam alio nisi instrumentali sensu ablativus accipi non potest; atqui accusator eo ordine, quem ipse instituit, defensoris actionem nullis vinculis alligavit. Neque hoc Aeschinis est consilium, sed quae actionis ratio ab adversario expetenda sit iudices admonet; quam si derelinqui liceat, fore ut fallaciae struantur (§ 206 sq.; cf. Quint. 3, 6, 3. 5, 13, 42. 6, 1, 20). Contra Demosthenes ait § 1 'ἔπειθ' ὅπερ ἐστὶ μάλιcθ' ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῆς ὑμετέρας εὐcεβείας τε καὶ δόξης, τοῦτο

παραστῆσαι τοὺς θεοὺς ὑμῖν (εὔχομαι), μὴ τὸν ἀντίδικον σύμβουλον ποιήσασθαι περὶ τοῦ πῶς ἀκούειν ὑμᾶς ἐμοῦ δεῖ, .. ἀλλὰ .. τῇ τάξει καὶ τῇ ἀπολογίᾳ, ὡς βεβούληται καὶ προήρηται τῶν ἀγωνιζομένων ἕκαστος, οὕτως ἐᾶσαι χρήσασθαι'. Nostro igitur loco postquam ego restituendum conieci 'quem accusator *actioni* (sc. Demosthenicae) praescripserit', vocem '*actione*' spuriam esse vidit praeceptor meus clarissimus Otto Ribbeckius.

VII 1, 26. Septimo libro, quo divisio tractatur, Quintilianus § 23 ait: 'Solebam et hoc facere, ut ab ultima specie . . retrorsum quaererem usque ad primam generalem quaestionem vel a genere ad extremam speciem descenderem'. Addit plerumque aliam esse in dicendo, aliam in quaerendo viam, quia illa quaestio generalis in dicendo prima, in quaerendo ultima esse soleat. Tum sic pergit: 'Itaque *propositione visa*, quod est facillimum, cogitemus, si fieri potest, quid naturale sit primum responderi: id si, tamquam res agatur et nobis ipsis respondendi necessitas sit, intueri voluerimus, occurret; si id non contigerit, seponamus id quod primum se optulerit et ipsi nobiscum sic loquamur 'quid si hoc non esset?' id iterum et tertium et dum nihil sit reliqui'. Quintiliani igitur sententia alter, cui facile ingenium et acumen acre, statim a prima quaestione generali incipiet; alter, cui illud non contigit, antea a specie ultima, qua continetur causa, exorsus ad primam generalem quaestionem descendet. At quid sibi vult illud 'propositione visa'? Vitium certum est neque incerta medela; scribendum erit '*propositione divisa*, quod est facillimum'. Propositio enim proprie est sententia, qua res controversa proponatur; cf. 4, 4, 8 'Utimur propositione aut nostra ut «adulterium obicio» aut adversarii ut «adulterii mecum agitur» aut communi ut «inter me et adversarium quaestio est, uter sit intestato propior»'. Itaque nostro loco propositio vocatur 'optat vir fortis alienam uxorem', qua in sententia vel singulis verbis 'optat — uxorem — alienam' singulae quaestiones insunt. Has diducere Quintiliano facillimum videtur.

VII 4, 13. J. O. 7, 4, 13 lectio est vulgata: 'Interdum ergo culpa in hominem relegatur: ut si Gracchus reus foederis Numantini — cuius metu leges populares tulisse in tribunatu videtur (cf. Velleius 2, 2, 1. Florus 3, 14, 2. Cicero de haruspic. respons. 20, 43) — missum se ab imperatore suo diceret'; quam scripturam Spaldingius et Halmius sine ulla causa sollicitarunt. Sed de hac controversia nunc non loquar; tantum moneo restituatur 'ut si *Ti.* Gracchus'. Nam in libris optimis (A G) non 'si', sed 'sit' legitur; cf. 5, 13, 24. 3, 1, 17.

VIII 3, 35. Caecilius Calactinus, Dionysii Halicarnassei amicus, in rhetorum Graecorum agmine 3, 1, 16 producitur. Idem quos status causae fecerit 3, 6, 48, quid discriminis inter ἀπόδειξιν et ἐπιχείρημα statuerit 5, 10, 7 Quintilianus explicat. Deinde 9, 3, 89 de figuris copiosius disputasse narratur; qua ex dissertatione frustula proferuntur 9, 1, 12 (de figurae vi) 9, 3, 38 (de μεταβολῇ)

46 (de πλεοναςμῷ) 91 (de ὑπερβατῷ) 98 (de περιφράσει). Editorum autem opinione unus locus restat, quo Caecilius memoretur. Scilicet 8, 3, 35 scriptura vulgata est: 'Idem (sc. Cicero in Laelio 24, 89) putat a Terentio primo dictum esse obsequium; *Caecilius* a Sisenna «albenti caelo»*). Ceruicem videtur Hortensius primus dixisse: nam veteres pluraliter appellabant'. Ubi Spaldingius quidem annotat 'Observavit hoc procul dubio Caecilius rhetor in historiarum scriptore Sisenna'. Attamen cum neque ad Graecum librum haec doctrina neque ad Latinum opus reliqua Caecili laus referri possit, illa sententia iustos scrupulos moveat. Accedit quod scriptura 'Caecilius' codice Monacensi solo defendatur, contra libri hoc loco optimi (a G S) '*Cincilius*' exhibeant. Cui nomini qua via verum substituatur, propria loci Quintilianei natura demonstrat. Sisenna enim etiam 1, 5, 13 commemoratur 'Nam sive est adsentior, Sisenna dixit adsentio multique et hunc et analogian secuti': quae res a Varrone quoque de ling. lat. 8 tradita est (Gellius 2, 25, 9). Praeterea Hortensium primum 'cervicem' singulari numero dixisse idem Varro de ling. lat. 8, 14 et 10, 78 narravit. Grammaticum igitur Latinum laudatum esse admodum verisimile est. Grammaticos autem Latinos perlustranti vix aliud occurret, quod traditae scripturae vestigia sequatur, nisi L. *Cincii* nomen (cf. Teuffel. litt. Rom. hist. 106, 4.)

IX 4, 145. In fine illius partis, qua de compositione disserit, Quintilianus 'Non tamen mirabor' inquit 'Latinos magis indulsisse compositioni quam Atticos, quo minus in verbis *habeant veritatis* et gratiae nec vitium duxerim, si Cicero a Demosthene paulum in hac parte descivit. Sed quae sit differentia nostri graecique sermonis explicabit summus liber'. Quibus in verbis cum veritatis mentio inepta sit, 'severitatis' mentionem Spaldingius supponendam censet. Haec coniectura ab Halmio probatur, sed immerito. Etenim ipse Quintilianus conferri iubet, quae 12, 10, 27—39 de Latini et Graeci sermonis discrimine docuerit. Ubi ad hunc finem pervenit (38) 'Possumus autem rerum et modo et iudicio esse similes, verborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est'. Itaque gratia Attica (35) Latinus sermo carere dicitur, qui ipsis statim sonis sit durior (27) neque in verbis habeat iucunditatem (33. 35. 38). Regius contra, quem Bonnellius sequitur, 'varietatis' virtutem desideratam existimat. At varietas non in ipsis verbis, sed in verborum compositione inest; Quintilianus autem de singulorum vocabulorum indole loquitur (12, 10, 38 'verborum gratia, quam in ipsis non habemus'). Mihi quidem nullum aliud substantivum quadrare videtur nisi quod illi gratiae simile sit. Ita iucunditas et gratia (10, 1, 96. 6 Pr 7), deinde delectatio et gratia (2, 13, 11), tum lux et gratia (4, 5, 22), praeterea venus et gratia (4, 2, 116. 6, 3, 18) iunguntur. Qua de causa nostro loco '*suavitatis* et gratiae' restitui uelim.

*) Verba 'caelo albente' leguntur in fr. Sisennae apud Nonium s. v. labra p. 449 (Peter. historic. Romanor. rell. fr. Sisennae 103); 'albenti' mutare non ausim (cf. Neuius de declinat. II p. 44).

Attici autem sermonis gratia a Quintiliano etiam 10, 1, 65 et 12, 10, 35, illius venus 10, 1, 100 et iucunditas 12, 10, 35, Atticorum suavitas a Cicerone de orat. III 11, 42 laudatur. Altero verba 'quo minus habeant' vulnere icta sunt neque scriptura Halmiana 'cum minus habeant' sanata. Nam elocutio 'quo minus' locis similibus satis defenditur, veluti 10, 1, 77 'Plenior Aeschines et grandiori similis, quo minus strictus est' et 12, 10, 36 'nam quo minus adiuvat sermo (Latinus), rerum inventione pugnandum est' et 2, 3, 8 'quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur'; praeterea 8, 5, 20 et 5, 14, 35 ('quo magis') 11, 1, 55 ('quo plures') 11, 1, 48 ('quanto plus nitoris') 1, 12, 18 ('quanto plus delectationis'). Itaque illud 'habeant' corruptum est, quod verbum orationis nexui una littera addita accommodabitur. Omnes enim difficultates hac scriptura sustulisse mihi videor: 'Non tamen mirabor Latinos magis indulsisse compositioni quam Atticos, quo minus in verbis *habebant suavitatis* et gratiae'.

X 1, 38. In litterarum Graecarum et Latinarum censura 10, 1, 45—131 Quintilianus quattuor scriptorum genera discernit: poetas historicos oratores philosophos. Eadem dispositio § 20—36 invenitur, ubi loquitur de lectione universa et oratorum (20 sq) et poetarum (27 sq) et historicorum (31 sq) et philosophorum (35 sq). Deinde ad singulos scriptores § 37 his verbis transit: 'Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoque adiungamus operi, qui sint legendi quaeque*) in auctore quoque praecipua virtus. Sed persequi singulos infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot milibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur et tamen de omnibus aetatis suae, . . exceptis Caesare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt *et Graecos omnes et philosophos*?' Huius enuntiati extrema pars gravi vitio laborat. Primum enim non modo duriuscula, ut Spaldingius dicit, est verbi ellipsis, sed omnis structura desideratur, quia, cum illa 'de oratoribus loquatur' et 'silentium egerit' interposita sint, verbum 'persequar' suppleri non licet. Deinde sententia manca est. Etenim si nexum orationis supra explicatum respexeris, adsentieris Spaldingio adnotanti 'Quare autem poetas hic non recenseat, de quibus tamen et ipsis dicturus est, equidem non dixerim'. Neque Halmius, cum verba 'et philosophos' deleret, hunc scrupulum removit. Mira autem Frotscheri sententia est, quam Mercklinius Mus. Rhen. 19 p. 31 affert 'Sed nolebat Quintilianus tam religiosus esse, ut singulos de quibus dicturus erat accurate recenseret: et sic historicos quoque debebat commemorare. At hoc erat inepti tumoris'. Nam primum singularum partium dispositionem Quintilianus summa diligentia ac paene anxietate quadam significare solet (cf. 1 Pr. 21 sq. 1, 4, 2 sq. 1,

*) 'qui sint legendi quaeque' Halmius; 'qui sint quae' libri.

5, 1 sq. 5, 1, 2. 8, 1, 1. 10, 1, 1. etc.); deinde nostro ipso loco infinitum fore laborem est probaturus. Itaque *et verbum finitum et poetarum historicorumque mentio lacuna exciderunt.* Quibus suppletis fere haec scriptura efficietur: 'quis erit modus, si et illos (sc. oratores) et qui postea fuerunt *et Graecos omnes (persequamur et poetas et historicos) et philosophos*?' Similis autem structura exstat 1 Pr 25 'Nam si, quantum de quaque re dici potest, persequamur, finis operis non reperietur'; 5, 10, 91 'quae si persequamur, nullus erit ea concidendi modus'; 8, 5, 25 'sed finis non erit, si singulas corruptorum persequar formas'.

X 1, 48. Vera est scriptura: '*non utriusque operis sui ingressu*'. Confer locos similes 4, 1, 34 'operum suorum principiis' et 4 Pr. 4 'initiis operum suorum'.

X 1, 61. 'Lyricorum longe Pindarus princeps *spiritus magnificentia*, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine'. In hac Pindari laude 'spiritus magnificentia' quid sit equidem non intellego. Spiritus enim idem est atque animi ardor; itaque sublimis 10, 5, 4 et elatus 10, 1, 104 et validior 12, 10, 37 vocatur. Contra magnificentia elocutionis vel sermonis virtus est; ita Alcaeus § 63 'in eloquendo brevis et magnificus' dicitur et Stoici § .84 'oratione magnifici' esse negantur. Idem enim valet quod μεγαλοπρέπεια teste Quintiliano 4, 2, 61 'His tribus narrandi virtutibus adiciunt quidam magnificentiam, quam μεγαλοπρέπειαν vocant'. Omittenda igitur meliorum librorum auctoritas, contra recipienda erit codicis Argentoratensis scriptura '*spiritu magnificentia*'. Qua cum bini ablativi conectantur 'spiritu magnificentia, sententiis figuris, ( . . copia . . flumine)', etiam maior universae sententiae concinnitas paratur. Neque alii lectioni auctoris oratio respondet Dionysi Halicarnassei de vet. script. cens. 2, 5 p. 420 R 'Ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος ὀνομάτων καὶ νοημάτων εἵνεκα, καὶ μεγαλοπρεπείας καὶ τόνου, καὶ περιουσίας . . καὶ σχηματισμῶν . .'

X 1, 95. J. O. 10, 1, 95 si libros ms. sequimur, de satura Varroniana Quintilianus ait: 'Alterum illud *etiam prius* saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro'. Quae extrema verba L. Muellerus (Mus. Rhen. 24 p. 143) sic interpretatur, ut praeter metrorum varietatem rerum atque dispositionis perturbatio vituperetur: etenim ad haec 'non sola carminum varietate mixtum' suppleri vult verba 'sed etiam rerum'. Attamen proprium discrimen, quo satura Varroniana a ceteris discrepabat, notatum esse verisimillimum est. Neque aliud nisi prosa oratio illis carminibus apte opponatur (10, 7, 19 'cum hanc facilitatem non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine' 1, 8, 2 etc.). Itaque verbis 'sed non sola carminum varietate mixtum' non tantum metra varia fuisse dicuntur, sed etiam versus cum sermone pedestri permixtus (cf. A. Riesii satur. Menipp. proleg.). Quod si est verum, universa coniecturarum copia repellenda est,

quam ut vocem 'prius' tollerent interpretes effuderunt; quorum Riesius quidem scribi vult 'verius', Muellerus 'amplius', alii aliud. Nam propter elocutionem 'sed non sola carminum varietate mixtum' supra commemorari opus est saturam, in qua versus non cum prosa quidem oratione commixtus, at metris tamen variatus fuit. Atqui huiusmodi satura illo Persi Horati Lucili genere non significatur. Nam Lucili libros postremos, qui re vera variis metris scripti fuerunt, Quintilianum non respexisse neque Riesium neque Muellerum fugit. Immo qui scriptores laudandi fuerint, e verbis Diomedeis elucet de satura Romana prolatis p. 485 K (Sueton. Reifferscheid. p. 20. 371.): 'Satura dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen quod ex variis poematibus constabat satura vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Satura autem dicta a satyris etc.' Itaque Enni et Pacuvi satura sola commemorata esse potest. Atque saturam Ennianam Quintilianus 9, 2, 36 laudat 'ut Mortem ac Vitam, quas contendentes in satura tradit Ennius'. Quae cum ita sint, *in priore sententiae membro lacuna statuenda est, qua Ennianae saturae mentio exciderit;* ut, nisi plura desideres, fere haec verba e manu scriptoris nostri prodiisse possint: 'Alterum illud et *iam prius (Ennio temptatum)* saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro'. Ennius igitur viam monstravit, Varro ingressus est. Eadem enim ratione, qua Diomedes, duo saturae genera Quintilianus discernit. Quorum alterum, quod maledicum Diomedes appellat, Lucilius et Horatius et Persius excoluerunt; alterius inventor, quia metra variavit, Ennius haberi potuit: quia insuper carmini prosam orationem immiscuit, Varro vocatus est. Nam vix veram credas O. Jahni coniecturam, qui pro illo 'condidit' scribendum 'condivit' proposuit; cf. Riesius p. 2; 3, 1, 19 'Romanorum primus condidit aliqua (in arte rhetorica) M. Cato'; 12, 11, 23 'Cato . . idem historiae conditor'.

XII 10, 28. Quintiliani sententia lingua Latina, si soni litteraeque comparentur, Graeco sermoni multum cedit. 'Namque' inquit 'est ipsis statim sonis durior, quando et iucundissimas ex graecis litteras non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullae apud eos dulcius spirant — quas mutuari solemus, quotiens illorum nominibus utimur; quod cum contingit, nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio, ut in *zephyris et zophoris*: quae si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient — et velut in locum earum succedunt tristes et horridae, quibus Graecia caret'. Huius loci condicio a Maduigio primo perspecta est, qui (opusc. 2 p. 358) sibi respondere monet verba 'et iucundissimas ex graecis litteras non habemus' atque 'et in locum earum succedunt tristes et horridae, quibus Graecia caret'; has autem horridas et tristes esse f et u et q litteras. Restat ut quaeratur, quae litterae Graecae Latino sermoni deesse di-

cantur. Quae quaestio ut solvatur, primum confer verba Quintilianea 1, 4, 7 'Desintne aliquae nobis necessariae litterae, non cum graeca scribimus — tum enim ab isdem duas mutuamur'. Hoc loco y et z litteras significari editores annotant, quae sententia et verbis § 9 'nostrarum ultima (sc. x littera)' et linguae Latinae historia probatur. Contra 12, 10, 28 a Spaldingio et Schneidero (gramm. lat. 1 p. 264) et aliis, quorum auctoritatem Christius et Halmius sequuntur, vocalis υ et φ consonans desiderari existimantur. Sed neque eisdem verbis res diversas tractari verisimile est neque illi sententiae haec conveniunt 'quae si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient', quoniam Latini Graecam φ suis litteris ph reddiderunt. Immo nullae aliae nisi y et z litterae a Quintiliano notantur. Qua de causa neque scriptura vulgata 'ut in Ephyris et Zephyris' neque lectio Halmiana 'ut in zephyris et zophoris' tolerari potest; contra omni dubitatione caret tradita scriptura: 'Quas mutuari solemus, quotiens illorum nominibus utimur; quod cum contingit, nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio, ut *in Zephyris et Zopyris*: quae si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient'.

XII 11, 12. J. O. 12, 11, 12 Quintilianus illi opinioni obsistit, qua nimis difficilis virtutis via credatur. 'Longam enim' ait 'facit operam, quod repugnamus: brevis est institutio vitae honestae beataeque, *si cedas naturae*. *Natura* enim nos ad mentem optimam genuit, adeoque discere meliora volentibus promtum est, ut vere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos'. Hoc loco scriptura librorum '*si credas. Natura*', quam Christio auctore Halmius neglexit, erit revocanda. Compares verba Quintilianea in libri octavi prooemio: '(VIII Pr. 5) Praecipueque in duabus his partibus (sc. in inventione et dispositione) perquam sunt pauca, circa quae si is, qui *instituitur*, non *repugnaverit*, pronum ad cetera habiturus est cursum . . (12) *Credere* modo, qui discet, velit (cf. Haupt. Hermae 4 p. 335). *Certa quaedam via est* (cf. VII Pr. 4. V 1, 3. X 3, 15; 16. 7, 10, 15. 10, 7, 5 sq. 2, 17, 41. 1, 4, 1. 7, 10, 4. 8 Pr. 3 sq. 12, 11, 11) et in qua multa etiam sine doctrina praestare debeat per se ipsa natura, ut haec, de quibus dixi, non tam inventa a praeceptoribus quam, cum fierent, observata esse videantur'. Hi duo loci invicem se tuentur. Credere enim is dicitur, qui se alteri committat. Similiter noster ait 10, 1, 20 'ac diu non nisi optimus quisque et qui credentem sibi minime fallat legendus est' et 1, 8, 10 'denique credamus summis oratoribus, qui veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad ornamentum eloquentiae adsumunt'. Praeterea ut repugnare et credere, ita pugnare et credere 2, 14, 4 sibi opponuntur 'ne pugnemus igitur, cum praesertim plurimis alioqui Graecis sit utendum . . profecto non est verendum, ne temere videamur oratori maximo (sc. Ciceroni) de nomine artis suae credidisse'; cf. 10, 1, 18 'pudet enim dissentire et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere'.

## II.

Litterarum Graecarum censura Quintilianea X 1, 46—84 cum ad historiam artium enarrandam summi momenti sit, haud parvi refert in singulorum scriptorum delectu et aestimatu utrum propria an aliena sententia nitatur. Eadem quaestio si soluta erit, et haec operis Quintilianei pars nova luce illustrabitur et illi quaestioni gravissimae, qua eruditione atque doctrina imbutus Quintilianus universam institutionem oratoriam composuerit, plana via sternetur.

Auctorum autem in hac parte primus iure laudetur *M. Tullius Cicero,* cuius libri rhetorici compluribus locis commemorantur cuiusque censura oratorum Romanorum in Bruto prolata § 38 quasi exempli loco ponitur. Praeterea manifesta familiaritas intercedit inter iudicia Quintilianea et veterum scriptorum censuram a *Dionysio Halicarnasseo* compositam. Interpretes autem alii Dionysi opus a Quintiliano adhibitum, alii eosdem fontes ab utroque aditos esse existimant. Atque decimo quidem libro Dionysi nulla mentio fit. Sed primum inter rhetores Graecos 3, 1, 16 laudatur. Deinde 9, 3, 89 de figuris copiosius disputasse traditur. Praeterea 9, 4, 88 postquam auctoribus Cicerone (orat. 57, 191 sq) et Aristotele (rhet. 3, 8, 4) de pedibus quibusdam vel vitatis vel probatis locutus est Quintilianus addit: 'Similia dicit Halicarnasseus Dionysius'. Quod referendum est ad Dionysiaci libri de compositione verborum scripti caput 17 (p. 220. 224 Schaefer.). Ex eiusdem operis capite 2 (p. 19 Sch.) translata sunt, quae de partibus orationis 1, 4, 18 proferuntur: 'Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, verba modo et nomina et convinctiones tradiderunt. . Paulatim a philosophis ac maxime Stoicis auctus est numerus ac primum convinctionibus articuli adiecti, post praepositiones: nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mixtum verbo participium: ipsis verbis adverbia'. Deinde noster ait 10, 4, 4: 'Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum' et Dionysius 25 p. 406 Sch.: '῾Ο μὲν γὰρ τὸν πανηγυρικὸν λόγον, ὡς οἱ τὸν ἐλάχιστον χρόνον γράφοντες ἀποφαίνουσιν, ἐν ἔτεσι δέκα συνετάξατο'. Tum quod Quintilianus 8, 6, 64 narrat: 'In ceris Platonis inventa sunt quattuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piraeum se descendisse significat, plurimis modis scripta', idem Dionysius tradit 25 p. 408 Sch.: 'τὴν δέλτον τελευτήσαντος αὐτοῦ λέγουσιν εὑρεθῆναι ποικίλως μετακειμένην τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας ἔχουσαν τήνδε «κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος»'. Praeterea compositio verborum 'κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ' (Demosthenis Philipp. 3, 17), quae 9, 4, 64 Bruto minus probari, ceteris placere dicitur, a Dionysio 9 p. 106 Sch. laudatur; denique quo modo compositum sit orationis Demosthe-

nicae pro Ctesiphonte habitae principium, a Quintiliano 9, 4, 63 et 73 atque a Dionysio 18 p. 242 et 25 p. 396 Sch. explicatur. Itaque ab hac parte nihil obstat, quominus ipsam veterum scriptorum censuram Dionysiacam a Quintiliano adhibitam esse coniciamus. Qua de controversia facilius esset iudicium, si illa censura integra esset neque, id quod cum universa species, tum coniunctio ὅτι toti operi praefixa demonstrat (cf. Sylburg. p. 415 Reisk.), mera epitome hodie exstaret depravata insuper et mutilata. Quamquam Dionysiacae originis certum indicium prae se fert, quia, ut H. Stephanus iure monet (p. 418 R), in hoc libello eadem, quae in aliis Dionysi operibus, iudicia inveniuntur neque aliud discrimen est, nisi quod hic strictiora, illic fusiora proferuntur. Qua de causa admodum probabiliter Sylburgius conicit (p. 416 R) epitomen servatam esse operis de imitatione compositi. Tres enim περὶ μιμήσεως libros Dionysius edidit; ‘τούτων’ ut ipse narrat in epistula ad Pompeium missa (de praecip. historic. 3 p. 766 R) ‘ὁ μὲν πρῶτος αὐτὴν περιείληφε τὴν περὶ τῆς μιμήσεως ζήτησιν· ὁ δὲ δεύτερος περὶ τοῦ τίνας ἄνδρας μιμεῖσθαι δεῖ ποιητάς τε καὶ φιλοσόφους καὶ ἱστοριογράφους καὶ ῥήτορας· ὁ δὲ τρίτος περὶ τοῦ πῶς δεῖ μιμεῖσθαι’. Haec ipsa scriptorum genera in veterum censura tractantur. Tum quos historicos laudaverit his verbis testatur (p. 767) ‘. . ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ περὶ Ἡροδότου τε καὶ Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος καὶ Φιλίστου καὶ Θεοπόμπου· τούτους γὰρ ἐκκρίνω τοὺς ἄνδρας εἰς μίμησιν ἐπιτηδειοτάτους’. Eidem eodem ordine in nostro libro producuntur. Tantus autem consensus inter historicorum iudicia, quae et in hac epistula et in illa veterum censura proferuntur, intercedit, ut non modo eaedem virtutes, sed etiam eisdem interdum verbis laudentur. Praeterea Dionysius de Thucyd. histor. iudic. 1 p. 810 R haec ait: ‘Ἐν τοῖς προεκδοθεῖσι περὶ τῆς μιμήσεως ὑπομνηματισμοῖς ἐπεληλυθὼς, οὓς ὑπελάμβανον ἐπιφανεστάτους εἶναι ποιητάς τε καὶ συγγραφεῖς . . καὶ δεδηλωκὼς ἐν ὀλίγοις τίνας ἕκαστος αὐτῶν εἰσφέρεται πραγματικάς τε καὶ λεκτικὰς ἀρετάς· καὶ πῇ μάλιστα χείρων ἑαυτοῦ γίνεται . . . ἵνα τοῖς προαιρουμένοις γράφειν τε καὶ λέγειν εὖ καλοὶ καὶ δεδοκιμασμένοι κανόνες ὦσιν . . ἁψάμενός τε τῶν συγγραφέων ἐδήλωσα καὶ περὶ Θουκυδίδου τὰ δοκοῦντά μοι, συντόμῳ τε καὶ κεφαλαιώδει γραφῇ περιλαβὼν . . ὡς καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἐποίησα· οὐ γὰρ ἦν ἀκριβῆ καὶ διεξοδικὴν δήλωσιν ὑπὲρ ἑκάστου τῶν ἀνδρῶν ποιεῖσθαι προελόμενον εἰς ἐλάχιστον ὄγκον συναγαγεῖν τὴν πραγματείαν’. Quae omnia in nostrum libellum cadunt. Nam primum optimi scriptores soli laudantur; quod consilium disertis verbis significatur 2, 9 p. 422 R ‘οὐκ ἐπειδὴ μὴ προσήκει πᾶσι τοῖς ποιηταῖς ἐντυγχάνειν, ἀλλ’ ἐπεὶ μὴ πάντων καιρὸς ἐν τῷ παρόντι μεμνῆσθαι· τὸ δὲ τῶν ἐξαιρέτων ἱκανόν ἐστιν’. Praeterea iudicia brevia et stricta sunt; cf. 4, 2 p. 431 R ‘ἐπειδὴ τοίνυν τὰ περὶ τῶν ἄλλων ἀναγνωσμάτων ἐστὶν ἡμῖν κεφαλαιωδῶς ἐξειργασμένα’. Neque tam in sententiis singulis contrahendis, quam in enuntiatis atque adeo iudiciis universis tollen-

dis excerptoris manum agnoscas. Denique nullum aliud nostri libri consilium est, nisi ut κανόνες eis proponantur, qui se ad bene scribendum dicendumque praeparent; cf. 419, 3. 420, 4; 11. 423, 16. 430, 7. 431, 3. 432, 4. 435, 6. 436, 9 etc. Ceterum praeter illam veterum scriptorum censuram pauca librorum περὶ μιμήσεως fragmenta, quae Syriani ad Hermogenem commentarii servarunt, ab A. Maio collecta sunt ('Dionys. Halic. Rom. antiq. pars hactenus desiderata' p. 102 sq). Unde discimus in primo libro Dionysium τὴν μίμησιν finivisse (fr. 1) et naturae atque artis vim comparasse (fr 2), in secundo libro Gorgiae orationem elocutioni poeticae similem et generi Lysiaco contrariam vocatam esse (fr. 3 et 4; cf. Dionys. de Lysia iudic. 3 p. 457 sq). Eodem autem consilio, quod Dionysius profitetur, Quintilianus ducitur: nam et ipse qui scriptores legendi atque imitandi sint explicat (§ 1. 8. 20. 37 etc. 55. 67. 69. 88. 90. 2, 1; 27 etc.) eis adulescentibus, qui, ut eloquentes fiant (§ 45. 42. 87. 1), firma quadam facilitate (§ 59. 1. 5, 1) atque copia (§ 5. 8. 15. 5, 1. 2, 1) paranda facultatem dicendi confirmare et augere (§ 44. 87) studeant. Praeterea eadem scriptorum genera tractantur. Denique quamquam in omnibus quidem scriptoribus esse 'utilitatis aliquid' conceditur (§ 57. 40. cf. 1, 8, 8), principes tamen soli enumerantur (§ 45 'paucos enim, sunt autem eminentissimi, excerpere in animo est etc.' 57. 104. 72. 80. 118 etc.). Quae similitudo num longius procedat infra quaerendum erit.

Primum, quod a Quintiliano perlustratur, *poetarum* genus est (46—72; 27—30). Qua in parte § 27 Theophrastus et Cicero auctores commemorantur: 'Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum multique eius iudicium sequuntur neque immerito . . in hac lectione Cicero requiescendum putat (pro Archia 6, 12)'. Deinde Horatius § 24, 56, 61, 63 et Vergilius § 56 laudantur. Tum noster ait § 53 'Quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat' et 54 'Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes neminem sui temporis in numerum redegerunt' et 59 'Ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum'. Hic apte conferantur verba I 4, 3 'Grammatice in duas partes dividitur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem .. Mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita severe usi sunt veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros .. tamquam subditos submovere familia (cf. 1, 1, 15) permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero'. Praeterea in poetarum Latinorum censura § 99 Varronis de sermone Plautino iudicium profertur. Itaque in grammaticorum provincia Quintilianus versatur. Accedit quod in enumerandis poetis Graecis et Latinis cum Quintiliano aliquoties consentit grammaticus Diomedes (l. 3 p. 482 sq K) in capite de poematibus inscripto, quod ex Suetoni libro de poetis composito excerptum est (Reifferscheid.

p. 4 sq). Suetonius autem bonos auctores sequitur: nam primum quae de satura proferuntur, ad Probi hypomnemata Persiana probabiliter relata sunt (Reiff. p. 371); deinde complures Graecorum scriptorum loci fere ad verbum consentiunt (Reiff.); praeterea in finienda tragoedia Theophrastus nominatim laudatur; denique quater Varronis mentio fit (Reiff. p. 379). His praemissis ad singulos poetas transibo.

*Epicorum* poetarum principes a Quintiliano appellantur Homerus Hesiodus Antimachus Panyasis. Eosdem eodem ordine Dionysius in veterum cens. p. 418 R sq. laudat. Quintiliani verba haec sunt:

'Igitur ut *Aratus ab Jove incipiendum putat,* ita nos rite coepturi ab Homero videmur.

Hic enim quem ad modum *ex Oceano dicit ipse omnium amnium fontiumque cursus initium capere,* omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. .

*Adfectus quidem vel illos mites vel hos concitatos* nemo erit tam indoctus, quin non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur.. *Dispositione totius operis* nonne humani ingenii modum excedit?.. Hic omnes sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit..

*(In Hesiodo) levitas verborum et compositionis probabilis;*

daturque ei palma in illo *medio* genere dicendi..

Cicero de republ. 1, 36, 56 'Imitabor ergo *Aratum,* qui magnis de rebus dicere exordiens *a Jove incipiendum putat*'.

Dionysius de comp. verbor. 24 p. 370 Sch. eodem loco Homerico (Il. 21, 196 sq) utitur: 'Κορυφὴ μὲν οὖν ἁπάντων καὶ σκοπὸς, ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι, δικαίως ἂν Ὅμηρος λέγοιτο'. cf. vet. cens.: 'Τῆς μὲν Ὁμηρικῆς ποιήσεως . . ἐκτύπωσαι τὸ σύμπαν· τοὺς δ' ἄλλους, ἐν οἷς ἀλλήλων πλέον ἔχουσι, χρὴ μιμεῖσθαι'.

vet. cens.: 'καὶ λάβε ζῆλον ἡθῶν τε τῶν ἐκεῖ καὶ παθῶν' (cf. Quint. 6, 2, 9).

vet. cens.: 'λάβε ζῆλον.. τῆς οἰκονομίας'.

de comp. verb. 24 p. 372 Sch.: 'τῶν δ' ἄλλων, ὅσοι τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ μεσότητα ἐπετήδευσαν, ὕστεροι μὲν ἐκεῖνοι μακρῷ παρ' Ὅμηρον ἐξεταζόμενοι φαίνοιντ' ἄν'.

vet. cens.: 'Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς'.

de comp. verb. 23 p. 173 R: 'Ἐποποιῶν μὲν οὖν ἔγωγε μάλιστα νομίζω τουτονὶ τὸν χαρακτῆρα (sc. τὸν ἀνθηρόν vel

*In Antimacho vis* et gravitas *et minime vulgare eloquendi genus* habet laudem:

sed .. et adfectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur..

Panyasin, ex utroque mixtum, putant in eloquendo neutrius aequare virtutes, *alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari*'.

*medium;* Quint. 12, 10, 58) ἐπεξεργάσασθαι Ἡσίοδον'.

vet. cens.: 'Ἀντίμαχος δ' εὐτονίας (ἐφρόντισεν) καὶ ἀγωνιστικῆς τραχύτητος καὶ τοῦ συνήθους τῆς ἐξαλλαγῆς'.

(de comp. verbor. 22 p. 150 R: 'Ταύτης δὲ τῆς ἁρμονίας (sc. τῆς αὐστηρᾶς) πολλοὶ ἐγένοντο ζηλωταὶ .. ἐν μὲν ἐπικῇ ποιήσει .. Ἀντίμαχος'.)

vet. cens.: 'Πανύασις δὲ τὰς τ' ἀμφοῖν ἀρετὰς ἠνέγκατο καὶ αὐτῶν πραγματείᾳ καὶ τῇ .. οἰκονομίᾳ διήνεγκεν'.

Auctores igitur Quintiliani fuisse videntur Cicero*) de re publ. 1, 56 et Dionysius de comp. verb. 24 et 23. Summus autem consensus est inter Quintiliani iudicia et Dionysiaca in veterum scriptorum censura prolata: nam non tantum eidem eodem ordine epici, sed etiam similes singulorum virtutes laudantur. Dicat tamen aliquis in Panyasi grave discrimen inveniri: nam quarto quidem loco etiam a Dionysio poni, sed Hesiodo et Antimacho appellari superiorem. At si haec Dionysi sententia esset, inter epicorum poetarum principes, quos de comp. verbor. 21—24 commemorat, illum laudaret. In μέσῃ autem ἁρμονίᾳ Homero palma datur (24), in γλαφυρᾷ καὶ ἀνθηρᾷ Hesiodus (23), in αὐστηρᾷ Antimachus (22) princeps vocatur. Atqui Panyasis si Hesiodi virtutes aequasset atque adeo materia illum superasset, una cum Hesiodo nominaretur, immo illius locum occuparet. Qua de causa Funckius quidem ('de Panyas. vita ac poesi' p. 14) illud ἠνέγκατο sic interpretatur, ut fere idem valeat Quintilianeum 'ex utroque mixtum'. Duplicis tamen ordinis Dionysius mentionem fecisse potest; nam Suidas de Panyasi ait 'ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον· κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον'. Id certe elucet ne in Panyasi quidem fuisse iudiciorum diversitatem. Praeterea grammaticum auctorem Quintilianus monstrare videtur § 53 'Quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat' et 54 'Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes neminem sui temporis in numerum redegerunt'. Quibus verbis et Apollonius et ei poetae, qui infra sequuntur, a praegressis distinguuntur. Laudantur autem Apollonius et Aratus

*) Sententia mea, ut semel dicam, Quintilianus non omnia, quae contuli, opera in singulis iudiciis evolvit, sed nonnullos locos memoria tenuit, adeo ut inscius interdum auctorum verba referret.

et Theocritus, quorum opera scriptores Romanorum optimi vel imitati vel interpretati sunt; deinde ex reliquo grege pauci evocantur. Itaque hi poetae teste Quintiliano ab Alexandrinis grammaticis in ordinem recepti non sunt, ut a Dionysio eos omitti vix mireris.

Epicos poetas apud Quintilianum *elegiarum* scriptores sequuntur, quorum princeps Callimachus, secundus Philetas vocatur; deinde *iamborum* poetae, quorum tres optimi, sed princeps Archilochus laudatur. Neutrius generis censura apud Dionysium hodie invenitur. Contra Proclus ait p. 242 Westphal. ‘ἀριστεῦσαι τῷ μέτρῳ ἐλεγείῳ Καλλῖνον καὶ Μίμνερμον· ἀλλὰ καὶ Φιλητᾶν καὶ Καλλίμαχον’ et ‘Ἴάμβων ποιηταὶ Ἀρχίλοχός τε ἄριστος καὶ Σιμωνίδης καὶ Ἵππῶναξ’; praeterea Diomedes p. 484 K (p. 18 Reiff.): ‘Elegiam praecipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus et Gallus imitati Graecos Callimachum et Euphoriona’ et ‘Iamborum praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus’.

Adiungitur a Quintiliano novem *lyricorum* mentio. Qui numerus apud Dionysium nullo verbo tangitur. Quamquam quattuor uterque poetas nominatim laudat, Pindarum Stesichorum Alcaeum Simonidem. De quibus noster ait:

‘Pindarus princeps *spiritu magnificentia, sententiis* figuris, beatissima rerum verborumque *copia* et

velut quodam eloquentiae *flumine:* propter quae Horatius eum merito credidit *nemini imitabilem.*

Stesichorum quam sit ingenio validus *materiae* quoque ostendunt . . *reddit personis* . . *debitam dignitatem* ac si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse. .

Alcaeus in parte operis *aureo plectro* merito donatur, qua *tyrannos insectatus* multum etiam moribus confert,

Dionys. vet. cens: ‘Ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος ὀνομάτων καὶ νοημάτων εἵνεκα, καὶ μεγαλοπρεπείας καὶ τόνου, καὶ περιουσίας . . καὶ σχηματισμῶν. .’

Horat. Carm. 4, 2, 1 sq: ‘Pindarum quisquis studet *aemulari* . . Monte decurrens velus *amnis* . . ruit . . Pindarus’.

Dionys. vet. cens.: ‘“Ορα δὲ καὶ Στησίχορον ἔν τε τοῖς ἑκατέρου (sc. Pindari et Simonidis) πλεονεκτήμασι κατορθοῦντα, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὧν ἐκεῖνοι λείπονται κρατοῦντα· λέγω δὲ τῆς μεγαλοπρεπείας τῶν κατὰ τὰς ὑποθέσεις πραγμάτων, ἐν οἷς τὰ ἤθη καὶ τὰ ἀξιώματα τῶν προσώπων τετήρηκεν’.

Horat. Carm. 2, 13, 26: ‘Et te sonantem plenius *aureo,* Alcaee, *plectro* dura navis . . Pugnas et *exactos tyrannos* densum umeris bibit aure volgus’.

in eloquendo quoque *brevis* et magnificus et *dicendi vi* plerumque oratori similis;
sed et lusit et in amores descendit, maioribus tamen aptior.

Dionys. vet. cens.: ‘Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος..’

(Cic. Tusc. disput. 4, 33, 70: ‘Sed poetas ludere sinamus . . fortis vir in sua re publica cognitus quae de iuvenum amore scribit Alcaeus!’)

Simonides, tenuis alioqui, *sermone proprio* et iucunditate quadam commendari potest; *praecipua tamen eius in commovenda miseratione virtus,* ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant’.

Dionys. vet. cens.: ‘Σιμωνίδου δὲ παρατήρει τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, τῆς συνθέσεως τὴν ἀκρίβειαν· πρὸς τούτοις, καθ’ ὃ βελτίων εὑρίσκεται καὶ Πινδάρου, τὸ οἰκτίζεσθαι μὴ μεγαλοπρεπῶς, ἀλλὰ .. παθητικῶς’.

In lyricis igitur idem consensus, qui in epicis poetis, inter Quintilianum et Dionysium in vet. cens. intercedit. Uterque enim eosdem quattuor scriptores laudat. Quamquam ordo paulo differt, quia apud Dionysium Simonides non quartum, sed secundum locum obtinet. Sed cum singulis poetis fere eaedem virtutes tribuantur, illa re paene nulla discordia oritur.

Lyricam poesin apud Quintilianum *antiqua comoedia* excipit, in qua Aristophanes et Eupolis et Cratinus excellere dicuntur*). Contra in censura Dionysiaca hoc poetarum genus omittitur; principes tamen illi laudantur art. rhet. 8, 11 p. 302 R: ‘ἡ δέ γε κωμῳδία ὅτι πολιτεύεται ἐν τοῖς δράμασι καὶ φιλοσοφεῖ, ἡ τῶν περὶ τὸν Κρατῖνον καὶ Ἀριστοφάνην καὶ Εὔπολιν, τί δεῖ καὶ λέγειν;’ Idem enumerantur et ab Horatio sat. 1, 4, 1 et a Velleio 1, 16, 3 et a Diomede p. 489 K (p. 9 Reiff.): ‘Poetae primi comici fuerunt Susarion et Magnes.. Secunda aetate fuerunt Aristophanes Eupolis et Cratinus, qui vel principum vitia sectati acerbissimas comoedias composuerunt’.

Quintilianus transit ad *tragoediarum* scriptores Aeschylum et Sophoclem et Euripidem. Eidem poetae in Dionysiaco libro laudantur. De Aeschylo autem noster dicit:

‘Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, *sublimis* et *gravis* et

Dionys. vet. cens.: ‘Ὁ δ’ οὖν Αἰσχύλος πρῶτος καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐχόμενος καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν τὸ πρέπον εἰδὼς καὶ τῇ τροπικῇ καὶ τῇ κυρίᾳ λέξει διαφερόντως κεκοσμημένος..’

*) X 1, 65. Inter verba ‘. . facundissimae libertatis’ atque ‘etsi est in insectandis vitiis praecipua . .’ periodi alterius exitum, alterius exordium lacuna excidisse suspicor. Nam coniunctio ‘etsi’, in qua I. Caesar Philol. 13 p. 757 haesit, etiam 1 Pr. 19. 1, 5, 28. 11, 3, 18. (2, 5, 19) usurpatur. H. Weilius Annal. philol. 1869, 99 p. 736 de hoc loco disputans mihi non persuasit.

*grandilocus* saepe usque ad vitium,

sed rudis in plerisque et incompositus:

propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permiserunt..'

Horat. art. poet. 280: 'et docuit *magnumque loqui* nitique cothurno' (vit. Aeschyl. 16 Dindorf[5]: 'ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ πλάσμα .. πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι χρώμενος'.)

(Dionys. de comp. verbor. 22 p. 150 R. τῆς αὐστηρᾶς ἁρμονίας scriptorem Aeschylum una cum Antimacho (p. 343) vocat.)

(vit. Aeschyl. 68 Dindorf[5]: 'οὐκ ὀλίγας μετὰ τελευτὴν νίκας ἀπηνέγκατο'; schol. Aristoph. Acharn. 10. Ran. 893.)

Deinde et Quintilianus et Dionysius Sophoclem atque Euripidem inter se comparant. At suam uterque viam ingreditur, ut in paucis verbis similitudo quaedam reperiatur.

'.. Euripides .. sermone magis accedit oratorio generi ..

et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus,

in adfectibus vero .. qui in miseratione constant, facile praecipuus est'.

Dionys. vet. cens: '.. Εὐριπίδης .. κεκραμένῃ τῆς λέξεως μετότητι κέχρηται ..

πολὺς ἐν ταῖς ῥητορικαῖς εἰσαγωγαῖς ..

εἰ δέ τι ἄσεμνον καὶ ἄνανδρον καὶ ταπεινὸν, σφόδρα ἰδεῖν ἐστιν αὐτὸν ἠκριβωκότα ..' (Aristotel. poet. 13, 9 sq.)

Poetarum agmen comici Menander et Philemon concludunt. Idem locus *comoediae novae* a Dionysio datur p. 423 R: 'Τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμεῖται (?*) τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας· εἰσὶ γὰρ καὶ τοῖς νοήμασι καθαροὶ καὶ σαφεῖς καὶ βραχεῖς καὶ μεγαλοπρεπεῖς καὶ δεινοὶ καὶ ἠθικοί. Μενάνδρου δὲ καὶ τὸ πρακτικὸν θεωρητέον'. Principes huius generis Menander et Philemon et Diphilus a Velleio 1, 16, 3 et a Diomede p. 489 K (p. 9 Reiff.) laudantur.

'.. Menander .. omnem vitae imaginem expressit..

Philemon..pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est (cf. 3, 7, 18)..'

(Dionys. vet. cens.: 'Μενάνδρου δὲ καὶ τὸ πρακτικὸν θεωρητέον'; Aristophan. Byzant. comment. in Callimach. πινακ. fr. 5 Nauck.: 'Ὦ Μένανδρε καὶ βίε, πότερος ἆρ' ὑμῶν πότερον ἐμιμήσατο;')

(Gellius 17, 4: 'Menander a Philemone nequaquam pari scriptore in certaminibus comoedia-

*) 'μιμεῖσθαι (sc. χρή)' Sylburg.

rum . . saepenumero vincebatur . . Euripidem quoque M. Varro (in imaginum libris? Ritschl. Mus. Rhen. 6 p. 514) ait . . in quinque tragoediis solis vicisse.')

In generibus igitur poetarum omnibus Quintilianus certum *numerum atque ordinem* respicit; cf. § 53 'Antimacho quamuis secundas fere grammaticorum consensus deferat', 54 'Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes neminem sui temporis in numerum redegerunt', 58 'Elegiae princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupavit', 59 'Ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum', 61 'Novem vero lyricorum longe Pindarus princeps', 66 'Antiquae comoediae Aristophanes et Eupolis et Cratinus praecipui', 67 'Sophocles et Euripides . . uter sit poeta melior inter plurimos quaeritur', 72 'Menander omnibus eiusdem operis auctoribus abstulit nomen . . Philemon ut pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est, ita consensu tamen omnium meruit credi secundus'. Cuius numeri auctores *Aristophanes et Aristarchus Alexandrini* vocantur (cf. Aristoph. fr. Nauck. p. 67 sq; Bernhardi litt. graec. hist. $I^2$ p. 155 sq); inde a ceteris *grammaticis* receptus dicitur (cf. I 4,3). Aliquoties autem in numero poetarum Graecorum et Latinorum cum Quintiliano Diomedes consentit (p. 341), qui copias Suetonianas servavit, sed easdem mutilatas et depravatas (Reiff. p. 372 sq.). Qua de causa colligere aliquis possit, eundem primi p. Ch. saeculi grammaticum et Quintiliani et Suetoni in hac re auctorem fuisse *). Quamquam propter miseram Dionysiacae censurae condicionem haec quaestio sat lubrica est. Etenim disertis quidem verbis certus poetarum numerus a Dionysio nusquam laudatur; sed primum ipse testatur in libris de imitatione compositis optimorum scriptorum κανόνας se proposuisse (p. 340); praeterea quaedam certi numeri vestigia hodie quoque exstant. Nam et Dionysius et Quintilianus quattuor epicorum principes producunt: atqui hic ipse numerus a Quintiliano ad Alexandrinos grammaticos refertur; fere eadem condicio est in lyricis poetis (p. 344). Praeterea Quintiliani auctor Dionysius est § 64 'Simonidis praecipua in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant (cf. Dionys. vet. cens. supra p. 345)' et 51 'Homerus omnes . . procul a se reliquit, epicos tamen praecipue (de comp. verb. 24 supra p. 342)' et 52 'Hesiodo datur palma in illo medio genere dicendi (de comp. verb. 23 supra p. 342)'.

*) Conferantur verba Suetoniana de grammatico Q. Remmio Palaemone, Quintiliani magistro: 'Arrogantia fuit tanta, ut . . iactaret nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed praesagante Vergilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palaemonem iudicem'.

Itaque admodum dubium est, utrum ipse Quintilianus an illius auctor Dionysius in singulis poetarum generibus certum numerum atque ordinem ex grammatica arte transtulerit. Sed utut res se habuit, secundae tantum partes illi grammatico a Quintiliano concessae esse possunt. Nam primus et praecipuus fons est *Dionysi Halicarnassei veterum scriptorum censura*. Cum Dionysio enim Quintilianus primum in ordine eorum generum consentit, quae apud illum sunt servata: poesis epicae et lyricae necnon poesis tragicae atque recentis comoediae. Idem consensus est in ordine singulorum scriptorum: Simonides enim solus diverso loco collocatur, sed haec res nullam discordiam graviorem efficit (p. 345). Deinde eidem principes poetarum epicorum et lyricorum et tragicorum producuntur, atque idem comoediae recentis poeta praecipuus laudatur. In singulis autem iudiciis nulla quae iure dici possit discordia invenitur — nam in Panyasidis laude olim Dionysius et Quintilianus consenserunt (p. 343) — immo tanta est familiaritas, ut dubitari non possit, quin ipsa Dionysiaca censura Quintiliano in manibus fuerit. Quae cum ita sint, equidem credam eundem consensum olim etiam in ceteris poetarum generibus fuisse. Itaque gravissima suspicio mihi oritur, vel excerptoris vel adeo librariorum culpa in censura Dionysiaca excidisse poetas elegiarum et iamborum (p. 344), praeterea comicos veteres et partem comicorum recentium. Nam cur a Dionysio haec genera omissa sint nulla causa reperiatur. Accedit quod et novae comoediae laus lacunae speciem prae se fert (p. 346) et comicorum veterum principes alio loco enumerantur (p. 345). Pauca praeterea Dionysiaco libro *de compositione verborum* inscripto Quintilianus debere videtur (cap. 24 et 23 supra p. 342). Compluribus locis *Horatius* laudatur, uno *Vergilius* (p. 341). Aliquoties etiam *Ciceronis* auctoritate nititur (p. 341. 343. 345). Semel vox *Theophrastea* traditur (p. 341), referenda fortasse ad libros περὶ λέξεως, qui a Dionysio laudantur de comp. verb. 16 p. 101 et de Lysia 14 p. 483 R. De scriptoribus autem aliis Quintilianus auctorum iudicium recipit, de aliis propriam sententiam profert, imprimis de Homero et Menandro et Euripide, qui poetae oratori aptissimi vocantur.

Poetas et apud Quintilianum et apud Dionysium in veterum scriptorum censura *historiarum scriptores* sequuntur (73 — 75; 31—34). Primi a Dionysio Herodotus et Thucydides laudantur in eodem gloriae fastigio positi; deinde Herodoti imitator Xenophon, Thucydidis Philistus; denique Theopompus, qui maiore laude quam Philistus effertur. Apud Quintilianum iusta ratione producuntur primi Thucydides et Herodotus, quorum diversa virtus laudem paene parem consecuta sit; deinde Theopompus, qui illis dignitate sit proximus; tum Thucydidis imitator Philistus. Nam Ephorus et Clitarchus et Timagenes obiter tantum commemorantur. Denique Xenophon uno verbo laudatur, quamquam universum huius scriptoris

iudicium ad philosophorum partem removetur. Itaque in ordine Dionysiaco et Quintilianeo summa est similitudo.

Quaeri tamen potest, num alio auctore Quintilianus et Xenophontem removerit et ceterorum mentionem inseruerit. Ait autem § 33: 'Ideoque M. Tullius ne Thucydiden quidem aut Xenophontem utiles oratori putat (Orat. 9, 30. 32), quamquam illum bellicum canere (12, 39), huius ore Musas esse locutas existimet (19, 62)'. Maioris momenti sunt eiusdem Ciceronis verba de Orat. II, 13, 55 sq: 'Herodotus . . princeps genus hoc ornavit, . . tanta est eloquentia, ut me quidem .. magno opere delectet; et post illum Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia vicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis est aptus et pressus, ut nescias utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda maximeque Thucydidem est imitatus. Postea vero ex clarissima quasi rhetorum officina duo praestantes ingenio Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt. . Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille; post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam et is quidem rhetorico paene more . . Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum longe eruditissimus..' Itaque hoc quoque loco primi laudantur Herodotus et Thucydides et Philistus et Theopompus. Sequitur Ephorus, qui Theopompi contubernalis, deinde Xenophon, qui a philosophia profectus, tum Callisthenes, qui rhetorico paene more usus, denique Timaeus, qui omnium natu minimus fuisse narratur.

*Dionysium* igitur, ut statim dicamus, secutus Quintilianus Thucydidem et Herodotum et Theopompum et Philistum recepit. *Cicerone* auctore Ephorum addidit, Xenophontem removit. Praeterea Timaei Ciceroniani Timagenes partes suscepit, pro Callisthene Clitarchus substitutus est. Quorum alter dicitur 'longo post intervallo temporis natus'; alterius ingenium probari, fides infamari narratur: idem Cicero tradit in Bruto 11, 42: 'Concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius; ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit . . . Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt, illa mors volgaris nullam praebebat materiem ad ornandum'.

Nunc ipsa verba Quintiliani addam, quibus sententia modo prolata firmabitur.

| | |
|---|---|
| 'Historiam multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat longe duos ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. | cf. Dionys. vet. cens. |

Densus et *brevis* et semper instans sibi Thucydides, dulcis et candidus et fusus Herodotus;

Dionys. v. c.: ‘καὶ τὸ μὲν σύντομόν ἐστι παρὰ Θουκυδίδῃ . .’

Cic. de orat. II 56: ‘Thucydides . . creber est rerum frequentia . . verbis est aptus et pressus’.

orat. 12, 39: ‘alter sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur (cf. Quint. 9, 4, 18) et de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum’.

*ille concitatis, hic remissis adfectibus melior*; ille contionibus, hic sermonibus; *ille vi, hic voluptate.*

Dionys. v. c.: ‘ἐν μέντοι τοῖς ἠθικοῖς κρατεῖ Ἡρόδοτος, ἐν δὲ τοῖς παθητικοῖς ὁ Θουκυδίδης· .. ῥώμῃ δὲ καὶ ἰσχύι . . παρηυδοκίμασεν Θουκυδίδης, ἡδονῇ δὲ καὶ . . χάριτι . . μακρῷ διενεγκόντα τὸν Ἡρόδοτον εὑρίσκομεν . .’

cf. Dionys. vet. censura.

Theopompus his proximus ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis, ut *qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator.*

Cic. de orat. II 57: ‘Postea vero *ex clarissima quasi rhetorum officina* duo praestantes ingenio Theopompus et Ephorus, *ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt*’.

Philistus quoque meretur qui turbae . . eximatur, *imitator Thucydidi*, et ut multo infirmior, ita *aliquatenus lucidior.*

Cic. de orat. II 57: ‘Philistus . . maxime Thucydidem est imitatus’.

Dionys. v. c.: ‘Φίλιστος δὲ μιμητής ἐστι Θουκυδίδου . . τῆς δὲ λέξεως τὸ μὲν γλωσσηματικὸν καὶ περίεργον οὐκ ἐζήλωκε . .’

Ephorus *ut Isocrati visum calcaribus eget* (cf. 2, 8, 11).

Cic. de orat. (II 57) III 9, 36.

Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.

Cic. (de orat. II 58) Brut. 11, 42.

Longo post intervallo temporis natus Timagenes . .

(Cic. de orat. II 58.)

Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est’.

Cic. de orat. II 58: ‘Denique etiam a philosophia profectus . . Xenophon . . scripsit historiam’.

Ordine Quintilianeo servato ad *oratorum* genus transimus (§ 76—80; 20 sq; cf. 12, 10, 20—24). Memoratur autem primum

decem oratorum Atticorum numerus. Qui numerus quamquam in opere Dionysiaco hodie non commemoratur, Dionysi tamen tempore finitus fuit; nam περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν ι′ ῥητόρων Caecilius Calactinus, illius amicus (p. 777 R), scripsit (Suidas s. v. Καικίλιος*). Horum oratorum quinque a Quintiliano producuntur, sed et ipsi in duos ordines divisi. Primi enim Demosthenes et Aeschines et Hyperides laudantur; deinde Lysias et Isocrates iunguntur, verbis 'his aetate Lysias maior' a prioribus segregati. Contra Dionysius commemorat Lysiam et Isocratem et Lycurgum, deinde Demosthenem et Aeschinem et Hyperidem. At olim similitudo maior fuisse videtur. Nam conferenda sunt Dionysi verba de orat. antiq. 4 p. 451 R: 'Τῶν δὲ ῥητόρων . . πολλῶν πάνυ ὄντων καὶ ἀγαθῶν τὸ μὲν ὑπὲρ ἁπάντων γράφειν μακροῦ λόγου δεόμενον ὁρῶν ἐάσω· τοὺς δὲ χαριεστάτους ἐξ αὐτῶν προχειρισάμενος κατὰ τὰς ἡλικίας ἐρῶ περὶ ἑκάστου· . . ἔσονται δὲ οἱ μὲν παραλαμβανόμενοι ῥήτορες τρεῖς μὲν ἐκ τῶν πρεσβυτέρων Λυσίας Ἰσοκράτης Ἰσαῖος· τρεῖς δ' ἐκ τῶν ἐπακμασάντων τούτοις Δημοσθένης Ὑπερίδης Αἰσχίνης, οὓς ἐγὼ τῶν ἄλλων ἡγοῦμαι κρατίστους' et de Dinarcho iudic. 1 p. 629 R: Περὶ Δεινάρχου . . οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσιν διὰ τὸ μήτε εὑρετὴν ἰδίου γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα, ὥσπερ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον· μήτε τῶν εὑρημένων ἑτέροις τελειωτὴν, ὥσπερ τὸν Δημοσθένην καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν'. Duae igitur aetates separantur, quarum posterior priorem superet. Priori adsignantur Lysias Isocrates Isaeus, alteri Demosthenes Aeschines Hyperides. Omnium autem princeps Demosthenes appellatur de Thucyd. iud. 55 p. 950 R: 'Δημοσθένει, ὃν ἁπάντων ῥητόρων κράτιστον γεγενῆσθαι πειθόμεθα' et de vi Demosthen. 33 p. 1058 sq. Secundus Aeschines habetur; nam ibid. 35 p. 1063 μετὰ Δημοσθένην μηδενὸς δεύτερος ἀριθμεῖσθαι dicitur. Atqui verisimillimum est eandem partitionem etiam in veterum censura servatam fuisse. Itaque equidem credam Dionysio auctore Quintilianum illas aetates distinxisse.

At neque a Dionysio in veterum scriptorum censura neque a Quintiliano in decimo libro Isaeus commemoratur. Potest tamen a Dionysio consulto omissus esse. Nam in iudicio de Isaeo prolato leni tantum discrimine Isaeum et Lysiam inter se differre demonstrat atque cap. 20 p. 628 R dicit: 'τὸν δὲ δὴ τρίτον Ἰσαῖον εἴ τις ἔροιτό με τίνος εἵνεκα προσεθέμην Λυσίου δὴ ζηλωτὴν ὄντα, ταύτην ἂν αὐτῷ φαίην τὴν αἰτίαν, ὅτι μοι δοκεῖ τῆς Δημοσθένους δεινότητος . . τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτος ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν'. Contra addita est in Dionysiaca censura Lycurgi mentio, qui neque apud Quintilianum neque ceteris locis, quibus principes oratorum a Dionysio enumerantur, invenitur. Itaque, quoniam oratores optimos

*) Cf. Westermann. eloquent. graec. histor., Lipsiae 1833, 40, 1. 88, 17 sq.

solos in libris de imitatione compositis se produxisse Dionysius testatur (p. 340), Lycurgi laus admodum mira est. Accedit quod hoc ipso iudicio universae partis structura turbatur. Nam molestum sane est illius exordium in hac iudiciorum serie: ‘Ὁ Λυσιακὸς λόγος .. ὁ δ’ Ἰσοκρατικὸς .. ὁ δὲ Λυκοῦργος .. ὁ δὲ Δημοσθενικὸς .. ὁ δ’ Αἰσχίνης .. ὁ δὲ Ὑπερίδης’. Quae cum ita sint, Lycurgi laudem a nescio quo homine aut ex alio Dionysi libro illatam aut suo Marte interpolatam esse suspicor; quae si removetur, apud Dionysium et Quintilianum idem est oratorum numerus.

Quinque oratoribus veteribus Quintilianus Demetrium Phalereum adiungit. Qua in re Ciceronem, cuius verba in Oratore 27, 92 et in Bruto 9, 38 ipse laudat, auctorem sequitur. In Bruto enim 8, 32—9, 38 oratores sanguine incorrupto pleni atque naturali nitore splendidi vocantur primum Isocrates et Lysias, tum Demosthenes et Hyperides et Aeschines, praeterea Lycurgus et Dinarchus et Demades et alii; deinde his senibus adulescens Demetrius Phalereus successisse atque primus orationem inflexisse narratur. Contra eidem oratores veteres, quos Quintilianus laudat, sed inverso ordine nominantur de orat. III 7, 28: ‘Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit’. Praeterea § 38 Cicero in Bruto de Romanis oratoribus copiosius disseruisse narratur. Denique § 24 (12, 1, 22) vox Ciceroniana memoratur ex nescio qua epistula petita (fr. p. 48, 4 Baiter-Kayser.). De singulis autem oratoribus Quintilianus haec ait:

‘Sequitur oratorum ingens manus, ut cum decem simul Athenis *aetas* una tulerit. Quorum longe princeps Demosthenes ac plane lex orandi fuit: tanta *vis* in eo (108. 6, 2, 24), tam *densa* omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is *dicendi modus*, ut nec *quod desit* in eo nec quod redundet invenias.

Cicero Brut. 36: ‘haec enim *aetas* effudit hanc copiam’.

Dionysius l. l.

Cic. Brut. 35: ‘nam plane quidem perfectum et cui *nihil admodum desit* Demosthenem facile dixeris’.

Dionys. vet. cens.: ‘Ὁ δὲ Δημοσθενικὸς (λόγος) εὔτονος τῇ φράσει (cf. Dion. de vi dic. Dem.), κεκραμένος τοῖς ἤθεσι καὶ λέξεως ἐκλογῇ κεκοσμημένος καὶ .. συνεχής ..’

Plenior Aeschines et magis fusus et *grandiori* similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, *minus lacertorum*.

Cic. de orat. III 28: ‘vim Demosthenes habuit’.

Dionys. vet. cens.: ‘Ὁ δ’ Αἰσχίνης ἀτονώτερος μὲν τοῦ Δημοσθένους, ἐν δὲ τῇ τῶν λέξεων ἐκλογῇ πομπικὸς ἅμα καὶ δεινὸς .. καὶ σφόδρα ἐναργὴς καὶ βαρὺς καὶ αὐξητικὸς καὶ πικρὸς καὶ .. σφοδρός ..’

*Dulcis* in primis et *acutus* (10, 5, 2) Hyperides, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par.

Cic. de orat. III 28: 'sonitum Aeschines habuit'.

Dionys. vet. cens.: "Ὁ δὲ Ὑπερίδης εὔστοχος μὲν, σπάνιον δ' αὐξητικός . . ἔτι δὲ τοῦ κρινομένου διαπαντὸς ἔχεται . . καὶ συνέσει πολλῇ κεχορήγηται καὶ χάριτος μεστός ἐστιν . . τούτου ζηλωτέον μάλιστα τῶν διηγήσεων τὸ λεπτὸν καὶ σύμμετρον . .'

Cic. de orat. III 28: 'acumen Hyperides habuit'.

Dionysius l. l.

His aetate Lysias maior *subtilis atque elegans* et quo nihil, si oratori satis sit docere (12, 10, 59), quaeras *perfectius*; nihil enim est *inane*, nihil *accessitum;* puro tamen fonti quam magno flumini propior.

Cic. Brut. 35: 'Lysias .. *subtilis* scriptor *atque elegans*, quem iam prope audeas oratorem *perfectum* dicere.'

Dionys. vet. cens: "Ὁ Λυσιακὸς λόγος πρὸς τὸ χρήσιμον καὶ ἀναγκαῖον ἐστὶν αὐτάρκης καὶ τὸ μὲν αὐχμηρὸν ἐκπεφευγὼς, πάνυ δὲ καὶ κομψὸς καὶ ἀληθὴς καὶ τῶν ἀττικισμῶν εὔχαρις . . . μάλιστα δ' ἐπιτευκτικὸς ἐν ταῖς διηγήσεσιν· ἰσχνότητι γὰρ τῆς φράσεως σαφῆ καὶ ἀπηκριβωμένην ἔχουσι τὴν τῶν πραγμάτων ἔκθεσιν.'

Cic. Orat. 29: 'Intellegamus hoc esse Atticum in Lysia . . quod nihil habeat insolens aut ineptum'; de orat. III 28: 'subtilitatem Lysias habuit'.

Isocrates in diverso genere dicendi nitidus et *comptus et palaestrae quam pugnae magis accommodatus*

Dionys. vet. cens.: "Ὁ δ' Ἰσοκρατικὸς (λόγος) κομψεύεται μὲν, ἀλλὰ μέτα σεμνότητος, καὶ πανηγυρικώτερός ἐστι μᾶλλον ἢ δικανικώτερος· ἔχει δὲ τὸν κόσμον μετ' ἐνεργείας καὶ πομπικός ἐστι μετὰ τοῦ ἀνυστικοῦ καὶ χρησίμου· οὐ μὴν ἀγωνιστικός..'; (de Isocrat. iud. 2 p. 539 R 'τὰς μὲν ἐπιδείξεις τὰς ἐν ταῖς πανηγύρεσι φέρουσι αὐτοῦ οἱ λόγοι').

Cic. Orat. 42: 'Dulce .. oratio-

omnes dicendi *vencres sectatus* est nec inmerito: *auditoriis* enim se, *non iudiciis compararat*;

nis genus (sc. Isocraticum) et solutum et fluens, sententiis argutum, verbis sonans . . (sed) pompae quam *pugnae aptius*, gymnasiis et *palaestrae dicatum*'.

Cic. Orat. 38: 'In Panathenaico autem Isocrates ea (i. e. virtutes elocutionis) studiose *se consectatum* fatetur; *non enim ad iudiciorum* certamen, sed ad voluptatem *aurium* scripserat'.

Cic. de orat. III 28: 'suavitatem Isocrates habuit'.

in *inventione* facilis, *honesti* studiosus;

(Dionys. de Isocrat. iud. 4 p. 542 R: 'ἡ μὲν εὕρεσις ἡ τῶν ἐνθυμημάτων πολλὴ καὶ πυκνὴ καὶ οὐδὲν ἐκείνης (sc. Lysiae) λειπομένη'; p. 543 laudatur 'ἡ προαίρεσις ἡ τῶν λόγων, περὶ οὓς ἐσπούδαζε, καὶ τῶν ὑποθέσεων τὸ κάλλος, ἐν αἷς ἐποιεῖτο τὰς διατριβάς'.)

*in compositione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. . .*

Cic. Orat. 151 (cf. Quint. 9, 4, 35); Brut. 32.

Dionys. vet. cens.: 'καὶ αὐτοῦ μάλιστα ζηλωτέον τὴν τῶν ὀνομάτων συνέχειαν'.

Quin etiam Phalerea illum Demetrium, quamquam *is primus inclinasse eloquentiam dicitur*, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, . .

Cic. Brut. 37: 'Phalereus successit eis senibus adulescens eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra; . . processerat enim in solem et pulverem . . e Theophrasti umbraculis. *Hic primus inflexit orationem* et . . suavis sicut fuit videri maluit, quam gravis'.

quem tamen in illo *medio genere* dicendi praefert omnibus *Cicero*'. (33: 'meminerimus non . . versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.')

*Cicero* Orat. 92: 'in qua *(media forma)* Phalereus Demetrius meo iudicio praestitit ceteris, cuius oratio cum sedate placideque labitur, tum illustrant eam quasi stellae quaedam tralata verba atque immutata'.

Itaque duos, quantum coniectare licet, auctores Quintilianus in hac parte sequitur: scilicet *Dionysium* in veterum scriptorum cen-

sura atque *Ciceronem* in Bruto 8, 32—9, 38 et in Oratore 92 et 151 (et 38. 42. 29 et de Orat. III 28).

Restat *philosophorum* genus (81—84; 35—36). De quo Dionysius in veterum scriptorum censura, postquam Pythagorae sectam obiter tetigit, haec dicit: ‘Μιμητέον δὲ μάλιστα Ξενοφῶντα καὶ Πλάτωνα .. παραληπτέον δὲ καὶ Ἀριστοτέλη εἰς μίμησιν .. φιλοτιμώμεθα δ’ αὐτοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐντυγχάνειν’. Xenophon igitur et Plato et Aristoteles philosophorum principes existimantur; quorum Platoni palma datur (cf. ep. ad Pomp. de Platone 752R; de vi Demosth. p. 1043. 1024. 1083 R.). Eosdem philosophos Quintilianus et primos producit et singulari quadam ratione commemorat. Ait enim: ‘Quis dubitet Platonem esse praecipuum? quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem? quid Aristotelem?’; tum in genus quietum oratio redit. Deinde a Dionysio Aristotelis discipuli nominantur, a Quintiliano unus Theophrastus. Quae laus ex Ciceronis Oratore 19, 62, quem locum Quintilianus § 33 commemorat, est translata: ‘Philosophi quidam ornate locuti sunt, siquidem et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit et Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt et longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et gravitate et suavitate princeps Plato’. Eiusdem Ciceronis Orator 9, 32 § 33 atque 3, 12 § 81, illius de philosophorum et oratorum provinciis iudicium, quod in tertio de Oratore libro protulit (III c. 15 sq), § 35 respicitur (cf. 1 Pr. 13 sq; 12, 2, 5 sq. 1, 10, 11; 2, 21, 13 *).

*Dionysium* igitur secutus noster Platonem et Xenophontem et Aristotelem, *Cicerone* auctore Theophrastum laudat. Contra et reliquos Socraticos (cf. 5, 11, 27. 10, 1, 35; 5, 7, 28. 12, 1, 10) et veteres Stoicos ipse addidisse videtur. Verba Quintiliani haec sunt:

‘Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae *M. Tullius confitetur*, quis dubitet Platonem esse praecipuum

sive acumine disserendi sive eloquendi facultate (108), divina quadam et Homerica;

multum enim supra prosam orationem surgit, ut mihi non ho-

*Cicero* Orat. 3, 12.

Dionysius l. l.

Cic. Orat. 62: ‘Longe omnium .. exstitit et gravitate et suavitate princeps Plato’.

Cic. Tusc. disput. 1, 32, 79: ‘quem omnibus locis divinum .. quem Homerum philosophorum appellat’.

Dionys. vet. cens.: ‘Μιμητέον δὲ μάλιστα Ξενοφῶντα καὶ Πλάτωνα τῶν δ’ ἠθῶν χάριν καὶ τῆς ἡδονῆς καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας’.

Cic. Brut. 31, 121: ‘quis enim uberior in dicendo Platone? Io-

*) X 1, 35. Loci supra allati demonstrant veram esse ‘oratorum’ mentionem; cf. Halm. adnot. p. 369.

minis ingenio, sed quodam videatur oraculo dei instinctus*).

Quid ego commemorem Xenophontis illam *iucunditatem* . .?

ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur,
et, *quod de Pericle veteris comoediae testimonium est,* in hunc transferri iustissime possit, *in labris eius sedisse quandam persuadendi deam*. . .

Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi *vi* (ac) *suavitate* an inventionum acumine an varietate operum (12, 11, 22) clariorem putem.

Nam in Theophrasto *tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse* dicatur.

Minus indulsere eloquentiae Stoici veteres, sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque, quae instituerant, plurimum valuerunt, rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non adfectaverunt, oratione magnifici. (cf. 12, 2, 25. 12, 1, 18).'

vem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui'.

(Dionys. de vi Demosth. 23 p. 1024 R idem dictum tradit.)

Dionys. vet. cens. p. 426: 'Ὁ μὲν Ξενοφῶν . . καθαρὸς τοῖς ὀνόμασι καὶ σαφὴς καὶ ἐναργὴς καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν ἡδὺς καὶ εὔχαρις'.

Cic. Orat. 32: 'sermo *melle dulcior*'.

Cic. Orat. 62: 'Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt'.

Cic. Brut. 59: 'Πειθὼ quam vocant Graeci . . hanc Suadam appellavit Ennius; ut *quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitavisse*, huius hic medullam nostrum oratorem (sc. Cethegum) fuisse dixerit' (cf. Quint. 12, 2, 22. 12, 10, 65. 2, 15, 4).

Cic. Orat. 1, 5: 'Aristoteles admirabili quadam scientia et copia'. Topic. 1, 3: 'dicendi copia (et) . . suavitate'. De invent. 2, 6: 'suavitate dicendi'. Brut. 121: 'quis Aristotele nervosior?'.

Dionys. vet. cens.: 'παραληπτέον δὲ καὶ Ἀριστοτέλη εἰς μίμησιν τῆς τε περὶ τὴν ἑρμηνείαν δεινότητος καὶ τῆς σαφηνείας καὶ τοῦ ἡδέος καὶ πολυμαθοῦς'.

Cic. Orat. 62: '*Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit*'.

Cic. Brut. 114: 'Stoicorum peracutum et artis plenum orationis genus scis tamen esse exile nec satis populari adsensioni accommodatum'. . 118 'ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint . . traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur'.

---

*) X 1, 81. Vocem 'Delphico', vel varia sede suspectam, J. Caesar delevit. Pronomen 'quodam' omni dubitatione caret. Cf. 10, 1, 109 'dono quodam providentiae genitus' 12, 11, 5 'ductus amore quodam operis'

In universa igitur scriptorum Graecorum censura Quintilianea fundamenta fuerunt *Dionysi Halicarnassei de veteribus scriptoribus iudicia* vel *de imitatione libri*. Primum enim uterque eodem consilio ducitur; deinde eadem litterarum genera tractantur; tum principes soli laudantur. Neque tantum quattuor illa genera uterque fere eodem ordine producit, sed etiam in singulis poesis partibus collocandis summus consensus invenitur. Scriptorum autem principes ab utroque eidem atque ordine fere eodem laudantur. Denique in singulis iudiciis summa similitudo intercedit. Itaque tanta est familiaritas censurae Dionysiacae atque Quintilianeae, ut appareat et Quintiliani auctorem principem esse Dionysium et in Dionysiaco libello restituendo summae auctoritatis esse Quintilianum. Nam, ne minora tangamus, in epitome Dionysiaca et partes quaedam poesis aliae omissae aliae mutilatae videntur et certus scriptorum ordo partim est oblitteratus (p. 348. 351). Praeter illud Dionysii opus a Quintiliano in poetarum censura *ars grammatica* aliqua adhibita esse potest. Deinde in historicorum laude *Ciceronis* verba de Orat. II 13, 55 sq., in oratorum iudicio illius censuram in Bruto 8, 32 sq, in philosophorum ordine et laude eiusdem iudicium in Oratore 19, 62 respexit. Denique, ut alia mittam, aliquoties alii loci Ciceroniani, aliquoties Dionysiaca iudicia in opere *de compositione verborum* prolata nostrum adiuverunt. Horum igitur virorum auctoritatem Quintilianus in scriptorum Graecorum censura maxime secutus est: horum iudicia partim recepit, partim auxit atque locupletavit.

Cum censura autem scriptorum Graecorum arte cohaeret *Romanarum litterarum* aestimatio. Nam in producendis generibus, ut ipse Quintilianus profitetur (§ 85), idem ordo servatur; praeterea et singula genera Graecis opponuntur (§ 93. 99. 101. 105. 123) et singuli scriptorum Romanorum principes cum Graecorum principibus comparantur atque nonnunquam simili laude ornantur. Universa autem pars ab ipso Quintiliano, cui Graecorum scriptorum censura Dionysiaca exemplum datum fuit, disposita atque exaedificata videtur. Quamquam dubitari non potest, quin in singulis scriptoribus vetera iudicia respexerit. In *poetis* quidem primum animadvertas illum consensum, quem in numero Quintiliani atque Diomedis vel potius Suetoni aliquoties exstare supra significavi (p. 337. 347). Deinde § 90 Lucani*) oratoria virtus laude effertur, eiusdem poeticum ingenium nota afficitur: simile, quamquam paulo asperius iudicium invenitur apud Martialem 14, 194 (cf. Sueton. vit. Lucan. p. 52

12, 10, 21 'et quadam eloquentiae frugalitate contentos' 9, 2, 76 'vi quadam veritatis' 10, 1, 82 'quandam persuadendi deam'; 12, 10, 24 'instinctis divino spiritu vatibus comparandus'.

*) X 1, 90. Scriptura Halmiana 'sed, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus' sententiam efficit ab hac operis parte alienam. Nam cum oratori futuro exempla quaerantur (p. 341), oratoria virtus in quovis scriptore laudi vertitur (§ 46. 63. 65. 67. 74 etc.). Itaque propter huius censurae consilium Quintilianus Lucani elocutionem oratoriam laudat, sed ingenium poeticum una reprehendit.

Reiff.) et apud Servium ad Aeneid. 1, 382 (et Iordan. de Gothorum origin. 5). Tum verba, quibus § 95 Varronis eruditio celebratur, partim similia sunt Ciceronianis in Bruto 56, 205 prolatis. Praeterea ad tragicorum laudem Atti et Pacuvi § 97 locus Horatianus epist. 2, 1, 56 apte conlatus est. Tum de Plauto comoediarum poeta ab ipso Quintiliano § 99 Varronis iudicium*) memoriae traditur. Denique Terenti scripta ad Scipionem Africanum relata etiam a Suetonio narrantur (vit. p. 30 sq).

Ceterum relinquere hanc partem non possum, antequam pauca addidi de dissertatione L. Mercklini Musei Rhenani volumini 19 p. 1 sq. inserta, qua mirum *parallelismum* quendam inter agmina Graecorum et Romanorum scriptorum indagasse sibi visus est. Nam p. 32 in hanc sententiam inclinat Quintiliano opus aliquod in manibus fuisse, in quo religiosior esset comparationis species: hanc a Quintiliano modo retentam esse, modo laxatam vel plane dissolutam. Verum enim vero — pace illius viri dixerim — praeter singulorum generum principes etiam ceteros, qui laudantur, scriptores inter se collatos esse nullo idoneo argumento probatum est. Quod iudicium ne et ipsum argumentis non firmatum videatur, paucis explicabo, qualis in epicis poetis parallelismus a Mercklinio constituatur (p. 13—16). Primo enim ordini Homerum et Vergilium adscribit; secundum deinde ordinem senis poetis effici existimat. In epicis igitur Graecis neglectum est illud discrimen, quo § 54 Apollonius a poetis praegressis segregatur (p. 343). Romanorum autem genus etiam maiore socordia est tractatum. Etenim sex poetis Graecis opponuntur sex illi Romani, qui Vergilium sequuntur, ut ordinis tertii princeps habeatur Serranus (p. 13). Atque adeo singulos epicos Mercklinius invicem comparat. Hesiodo enim opponi Lucretium et Macrum, quibus partes secundae tertiaeque concedantur (p. 15), Antimacho Cornelium Severum (p. 13), Varronem Apollonio et Arato (p. 15), ut in hoc secundo ordine soli Panyasis et Theocritus Graeci atque Romani Ennius et Ovidius restent. Quod universum aedificium uno ictu corruet. Verba enim Quintilianea § 88 'Propiores alii atque ad hoc, de quo loquimur, magis utiles' sic interpretatur, ut 'aetate' propiores ei poetae, qui insequuntur, vocentur (p. 12). Eadem ratione § 74 Theopompum Thucydidi et Herodoto 'aetate' proximum appellari putat (p. 12. 22). At neque Theopompus Philisto aetate maior est**) neque in hac operis Quintilianei parte 'proximo' illa vis inest. Conferantur verba § 53 de Antimacho 'ut appareat quanto sit aliud proximum esse, aliud parem' et 62 'Stesichorus videtur aemulari proximus Homerum potuisse' et 85 'Homero Vergilius proximus' et 86 'secundus est Vergilius, propior tamen primo quam tertio'. Neque nostro loco

*) X 1, 99. De verbis 'Aeli Stilonis sententia' conferatur Mercklin. Mus. Rhen. 19 p. 20 adnot.

**) A. Schaefer. de fontibus historiae Graecae, Lipsiae 1867, § 23 et 29.

ad tempus, sed ad dignitatem illud adiectivum spectat. Laudato enim Vergilio epicorum poetarum principe Quintilianus sic pergit: 'Ceteri omnes longe sequentur. Nam Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin faciant. Atacinus Varro ad augendam facultatem dicendi parum locuples. Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus'. Itaque hi poetae ad augendam facultatem oratoriam parum apti ducuntur. Iam Quintilianus addit: 'Propiores (sc. Vergilio) alii atque ad hoc, de quo loquimur (p. 341), magis utiles. Ovidius . . laudandus in partibus. Severus, si ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum (sc. post Vergilium). Serrani opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem voluntatem etc.' Quo exemplo satis demonstrasse mihi videor, in quos laqueos et errores de plana via delapsus hic interpres inciderit quoque iure in auctoribus Quintiliani quaerendis istum parallelismum plane omiserim.

## III.

Quintilianus etsi proprio sensu non magis quam Cicero grammaticus appellari potest, nihilo minus in primo operis sui libro grammaticorum quoque provinciam perlustrat. Quamquam artem grammaticam componere non vult, sed, cum oratoris studia ab infantia formare sibi proposuerit (1 Pr. 5. 21), quas res praecipuas illius scientiae doctores aut tradant aut tradere debeant notare (1, 5, 54. 1, 4, 17. 1, 5, 7. 1, 10, 1). Eam autem grammaticae doctrinae partem, quae in sermonis legibus investigandis et in vocabulis huius artis propriis definiendis et in ceteris similibus versatur, leviter tangit. Immo vetat ad extremam usque anxietatem et ad ineptas cavillationes descendere (1, 7, 33) atque ut per artem grammaticam eant, non in illa haereant discentes admonet (35; cf. 1, 5, 14. 17. 38. 1, 6, 17. 32). Itaque huiusmodi quaestiones quasdam quasi digito tantum monstrat (1, 4, 7. 11. 26. 1, 7, 7. 9 etc.): in paucis suam sententiam profert (1, 4, 20. 1, 5, 35. 66). Contra magna diligentia eas res grammaticas tractat, quae ad cotidianam loquendi rationem spectant. Qua de causa maxime in dubiis versari grammaticos iubet (1, 6, 38. 1, 7, 1). Eadem de causa praecipue ea grammaticorum placita, quibus usus loquendi communis reprehenditur, refellere studet (1, 4, 12. 1, 5, 42 sq. 1, 6, 10 sq. 24. 1, 7, 10). Quintiliani autem sententia et in dicendo et in scribendo magistra habenda est consuetudo (1, 6, 3. 1, 7, 30). Nam magnam quidem esse auctoritatem, dummodo ab oratoribus vel historicis petatur (1, 6, 2. 11. 4, 4), non a poetis, quippe quibus summa libertas concedatur (1, 6, 2. 1, 5, 11. 18. 1, 8, 14); at ne illorum quidem scriptorum usu firmum praesidium praeberi (1, 6, 42).

Eadem opinione ductus analogiae noster magnam quidem vim et potestatem tribuit (1, 6, 22); itaque inhaerendum esse verae et rectae locutioni: at quoad liceat neque illam consuetudo deviceerit (1, 6, 20. 1, 5, 63). Nam analogia, inquit, non caelo demissa neque lex loquendi est, sed observatio neque ulla alia re facta nisi consuetudine (1, 6, 16). Consuetudini autem servire et sermonem (1, 4, 13 sq. 1, 5, 29. 63. 1, 6, 30) et orthographiam (1, 7, 11 sq. 30). Huic oratorem parere iubet, ita ut neque incaute verbis priscis utatur (1, 6, 41) neque nimia licentia nova verba fingat (1, 5, 72. 8, 3, 30 sq). Ipsam denique consuetudinem non usum multorum vocat, sed consensum eruditorum (1, 6, 45).

Hac igitur mente Quintilianus de arte grammatica disserit. Sed etiamsi breviter tantum hanc partem tractat, nihilo minus certa via progressus universam grammaticorum doctrinam perlustrat. Perspicuus autem ordo est, quo singula huius artis capita se excipiant. Ait enim 1, 4, 2: 'Haec igitur professio cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio; et mixtum his omnibus iudicium est (p. 341)' et in totius partis fine 9, 1: 'Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum, quarum illam methodicen, hanc historicen vocant'. Alterum igitur grammatici officium est poetarum enarratio, quacum lectio est iuncta; haec ipsa pars capite VIII tractatur, ubi § 1 legitur: 'Superest lectio' et § 18: 'His accedet enarratio historiarum'. Altera pars, id est recte loquendi scientia, capitibus V et VI et VII adumbratur; dicit enim noster 5, 1: 'Iam cum oratio tres habeat virtutes, ut emendata ut dilucida ut ornata sit, . . totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria: emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars est, examinet' et infra 7, 32: 'Hae fere sunt emendate loquendi scribendique partes: duas reliquas significanter ornateque dicendi non equidem grammaticis aufero, sed, cum mihi officia rhetoris supersint, maiori operi reservo (cf. 8, 1, 2. 8, 5, 35.)'. Cum loquendo autem 4, 3 ratio scribendi coniuncta vocatur; haec capite VII tractatur, ubi noster incipit verbis § 1: 'Nunc quoniam diximus quae sit loquendi regula, dicendum quae scribentibus custodienda'. Contra loquendi regulae caput VI datum est; cuius capitis dispositio § 1 adumbratur: 'Est etiam sua loquentibus observatio, sua scribentibus. Sermo constat ratione vetustate auctoritate consuetudine'. Deinde sic pergit: 'Rationem praestat analogia (§ 3—27), nonnunquam et etymologia (28—38)'. Tum de vetustate loquitur (39—41), deinde de auctoritate (42), denique de consuetudine (43—45). Restat caput V, cuius certus ordo significatur § 2: 'Haec (sc. emendate loquendi regula) exigitur verbis aut singulis aut pluribus. . Singula sunt aut nostra aut peregrina, aut simplicia aut composita, aut propria aut trans-

lata, aut usitata aut ficta'. Tractantur autem verba Latina et peregrina § 55—64 (cf. v. 55: 'Hoc amplius, ut institutum ordinem sequar, verba aut latina aut peregrina sunt'), deinde simplicia et composita 65—70, tum propria et translata 71, denique usitata et nova 71—72. Praecedit emendate loquendi scientia, quae pluribus verbis exigatur, § 34—54; legitur enim 34: 'Cetera vitia omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est soloecismus' et 54: 'Hactenus de soloecismo'. Vitium autem, quod in singulis verbis fiat, id est barbarismus, § 5—33 enarratur. Quintilianus enim § 5 ait: 'Prima barbarismi ac soloecismi foeditas absit. . Vitium, quod fit in singulis verbis, sit barbarismus.. Quis nescit alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo,.. illud prius adiectione detractione inmutatione transmutatione, hoc secundum divisione complexione spatio sono contineri?' Alterum barbarismi genus, quod in dicendo fiat, § 17—33 explicatur. Illius species sunt barbarismi qui oriantur divisione (17) complexione (17) spatio (18) sonis (19—33). Ipsis autem sonis continetur adspiratio (19—21), tum adcentus (22—31), denique vitia oris et linguae, quae 32—33 enumerantur. Alterum barbarismi genus, quod in scribendo fiat, § 10—17 tractatur. Cuius quattuor species iterum significantur § 10: 'Tertium (sc. barbari genus) est illud vitium barbarismi, cuius exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo cui libebit adiciat litteram syllabamve vel detrahat aut aliam pro alia aut eandem alio quam rectum est loco ponat'. Hae igitur sunt duae illae partes, in quas brevissime ars grammatica dividitur, recte loquendi scientia et poetarum enarratio. Sed antequam haec interiora artis adit Quintilianus in capite IV pauca praemittit, ut iusto ordine usque ad orationis virtutes (5, 1) progrediatur. Etenim a litteris incipit (§ 6—17), deinde de syllabis pauca monet (§ 17), tum transit ad partes orationis (§ 18 sq), quarum quae praecipuae sunt, nomina (23—26) et verba (27—29), accuratius tractat. Apparet igitur a Quintiliano universam artem grammaticam non leviter tactam esse, sed aedificium quoddam exstructum, quod in firmo fundamento positum ab omnibus partibus perfectum et absolutum sit.

Quodsi hunc ordinem respicis haud parva artis grammaticae antiquae peritia institutum, facile conicias eandem condicionem esse in hac parte, quam in scriptorum Graecorum censura supra investigavimus: scilicet unius grammatici auctoris opus Quintiliano rhetori fundamentum fuisse. Quae sententia vel per se summam veritatis speciem prae se fert. Nam in rhetoricis quidem partibus noster quas per multos annos cumulavit copias varias et undique congestas effundit. Contra et in scriptorum censura et in institutione grammatica veluti in provincia aliena versatur; itaque ipsa res fert, ut his locis peregrinus potius quam incola unius ducis vel paucorum vestigia persequatur. Atque ad similem

finem alia via progressus nuper pervenit Gulielmus Schadius*). Nam aliis grammaticorum operibus collatis demonstravit singulas res orthographicas, quae a Quintiliano tractantur, maximam partem ex uno fonte haustas esse neque hinc illinc arreptas. Propter consensum autem, qui inter Quintilianum in libri primi capitibus 4 et 7 et orthographiae scriptores Annaeum Cornutum, Terentium Scaurum, Velium Longum atque Marium Victorinum in libri I capite 4 intercedat, Schadius unum eundemque auctorem omnes secutos esse statuit (p. 49). Argumentis deinde haud mediocribus colligit (p. 39 sq) caput illud Victorianum excerptum esse praecipue ex Verrii Flacci libris 'de orthographia' compositis (Sueton. de gramm. 19). Itaque hoc opere omnes illos scriptores usos esse conicit (p. 49). Quae quaestio admodum lubrica et difficilis est. Satis enim nota est illa ratio, qua inde a Varrone artis grammaticae conditore ceteri grammatici omnes praecedentis quisque vestigiis institerunt atque alterius alter scrinia compilarunt. Itaque in singulis scriptoribus accurate quaerendum erit, utrum Verrii opus adierint an inter alias res Verrianae quoque copiae per rivulos nescio quos eis sint adductae. Atque, ut alia omittam, ipsi Schadio concedendum fuit neque Velium Longum, qui Verri Flacci de litteris iudicia ter laudat (p. 2215. 16. 38), neque Quintilianum Verrii librum tantum exscripsisse, sed ipsos nonnulla addidisse (p. 38). Quam universam quidem rem solvere nunc nec volo nec possum. Sed ut Schadius Victorianum caput tractavit, ita copias Quintilianeas ego perlustrabo. Primum autem Quintiliani doctrinam cum ceterorum grammaticorum verbis comparabo, deinde quid de illius auctoribus statui possit eruere conabor.

Quintilianus igitur de artis grammaticae nomine ait II 1, 4: 'Grammaticen . . in latinum transferentes litteraturam vocaverunt'; cf. 2, 14, 3. Conferatur *Marius Victorinus* p. 4, 4 K**): 'Ut *Varroni* (de grammatica fr. 91 Wilm.***) placet, ars grammatica, quae a nobis litteratura dicitur, scientia est etc.'; cf. fr. 92.

Totius autem scientiae partitio haec profertur I 4, 2: 'Haec professio cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus iudicium est' et 9, 1: 'Finitae sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum, quarum illam methodicen, hanc historicen vocant'. Hic conferas verba *Diomedis* p. 426, 15 K: 'Grammaticae partes sunt duae, altera

*) W. Schady 'de Mari Victorini libri I capite IV, quod inscribitur de orthographia' Bonnae 1869.

**) Grammatici Latini ex recensione Henrici Keilii vol. 6 fasc. 1. Lipsiae 1871.

***) A. Wilmanns 'de Varronis libris grammaticis' Berolini 1864.

quae vocatur exegetice, altera horistice. Exegetice est enarrativa, quae pertinet ad officia lectionis: horistice est finitiva, quae praecepta monstrat, cuius species sunt hae: partes orationis, vitia virtutesque. . . Grammaticae officia, ut adserit *Varro* (de grammatica fr. 93 W.), constant in partibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio'.

Deinde Quintilianus I 4, 6 sq sic progreditur, ut a litteris (6—17) surgat ad syllabas (17), inde ad partes orationes (18 sq), tum sic pergat 5, 1: 'Iam cum oratio tres habeat virtutes . . totidem vitia, emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars est, examinet'. Fere eadem artis grammaticae initia adumbrantur a *Diomede* l. l. p. 426, 32: 'Grammaticae initia ab elementis surgunt, elementa figurantur in litteras, litterae in syllabas coguntur, syllabis conprehenditur dictio, dictiones coguntur in partes orationis, partibus orationis consummatur oratio, oratione virtus ornatur, virtus ad evitanda vitia exercetur'.

Primum igitur a Quintiliano I 4, 6—17 litterae tractantur. Ait autem I 4, 7: 'At grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem: desintne aliquae nobis necessariae litterae, non cum graeca scribimus: tum enim ab isdem duas mutuamur (sc. y et z litteras)' et XII 10, 27: 'Namque (latina lingua) est ipsis statim sonis durior, quando iucundissimas ex graecis litteras non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, . . quas mutuari solemus, quotiens illorum nominibus utimur: quod cum contingit, nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio, ut in «Zephyris et Zopyris»: quae si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient'. De eisdem litteris Diomedes dicit p. 428, 27 K: 'Syllabae, ut ait *Varro* (de sermone latino II fr. 49 W.), aliae sunt asperae, aliae leves, . . aliae graeculae, . . graeculae ut «hymnus Zenon», durae ut ignotus, molles ut aedes'. Deinde *Diomedes* p. 422, 1 (et 426) K: 'Litterae aut Latinae sunt aut Graecae. Graecae duae y et z, quae in usum nostrum propter nomina Graeca venerunt' et *Charisius* p. 8, 20 (et 11) K: 'y et z propter Graeca nomina admittimus' et *Marius Victorinus* p. 5, 28 K: 'y et z propter Graeca nomina admittimus'; 7, 30 K: 'y vocalis Graeca, z consonans Graeca' et *Priscianus* I p. 36, 17 H: 'y et z in Graecis tantummodo ponuntur dictionibus, quamvis in multis veteres haec quoque mutasse inveniantur et pro υ u, pro ζ vero, quod pro sd coniunctis accipitur, s vel ss vel d posuisse' et *Maximus Victorinus* p. 196, 3 K: 'Litterae peregrinae y et z . . propter Graeca nomina adsumptae sunt, ut puta «Hylas Zephyrus»; quae si adsumptae non essent, «Hulas et Sdepherus» diceremus'.*)

*) Adde verba Ciceronis Orator. 48, 160 'nec enim Graecam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas', quibus y et z litteras significari monet Schneiderus gr. lat. I p. 39 adnot.

I 4, 8: 'Sed proprie in latinis (desunt aliquae nobis litterae), ut in his «seruus et uulgus» aeolicum digammon desideratur'; I 4, 11: 'Atqui sibi insidit u (littera), quomodo nunc scribitur «uulgus et seruus»'; I 7, 26: 'Nostri praeceptores «seruom ceruomque»*) u et o litteris scripserunt . . nunc u gemina scribuntur ea ratione, quam reddidi (sc. 1, 4, 8): neutro sane modo vox, quam sentimus, efficitur nec inutiliter Claudius aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat'; XII 10, 29: 'Aeolicae quoque litterae, qua «seruum ceruumque» dicimus, etiamsi forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur'. Memoratur igitur Claudii Caesaris digammon (cf. Buechelerus 'de Tiberio Claudio Caesare grammatico' p. 3 sq). Quamquam Claudii consilium Quintilianus non perspexit, quippe qui aeolicam illam litteram u geminae finibus concludat. Quod cum etiam Christius animadverterit Philolog. 18 p. 174, tamen perperam statuit Quintiliani verbis ceteras vocales non esse exclusas. Etenim ab u geminata (1 4, 8 et 11) litterae 'uo' sat manifesto segregantur 1, 4, 10: 'Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia «iam» sicut «etiam» scribitur et «uos» ut «tuos»'. Quae cum ita sint, vix dubites, quin eundem errorem commiserit *Gellius* 14, 5, 2: 'Nam «diuus et riuus et cliuus» non us syllaba terminantur, sed ea, quae per duo u scribenda est, propter cuius syllabae sonum declarandum reperta erat nova littera, quae digamma appellabatur'. Praeterea conferenda sunt verba, quae ex eodem fonte hausta**) proferunt *Diomedes* l. l. p. 422, 21 et *Donatus* p. 367, 18: 'Huic (sc. u litterae) digammon adscribi solet, cum sibi ipsa praeponitur, ut «seruus uulgus»'. Quae doctrina admodum quidem contorta est, id tamen animadvertas quod eadem exempla, quae Quintilianus 1, 4, 8 et 11 affert, laudantur. Itaque hoc certe apparet Quintilianum digammi Claudiani mentionem non suo Marte fecisse, sed alio grammatico auctore. Ceterum ne res cognatas dirimam, statim ad verba Quintilianea I 7, 26: 'Nostri praeceptores «seruom ceruomque» u et o litteris scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret: nunc u gemina scribuntur' comparabo similes aliorum grammaticorum locos. Ait enim *Charisius* p. 75, 4 K. *Iulio Romano* auctore: '«Seruus ceruus uulgus» a quibusdam per u et o, videlicet quia duae vocales geminari, ut unam syllabam faciant, non possunt. Sed per duo u scribi debent' et *Velius Longus* p. 2222 P: 'A plerisque superiorum . . «primitiuus adoptiuus» . . per u et o scripta sunt, scilicet quia sciebant vocales inter se confundi non posse, ut unam syllabam faciant***)' et *Scaurus* p. 2251: '«Equom et seruom» et similia . . antiqui per uo scripserunt, quo-

*) I 7, 26. 'seruom ceruomque' A; cf. 1, 4, 11 '«aiio Maiiamque» geminata i scribere'.

**) Cf. Keil. gramm. latin. praef. I p. 56; IV p. 40.

***) 'faciant' Brambach. orthograph. lat. p. 97; 'non faciant' Putsch.

niam scierunt vocalem non posse geminari'. Deinde *Cornutus* p. 2284: 'Alia sunt, quae per duo u scribuntur . . «ingenuus exiguus» etc.' et *Marius Victorinus* p. 14, 23 K: 'Sed scribam voces, quas alii numero singulari et plurali indifferenter per u et o scripserunt, ut «auos coruos» et cetera'. Itaque eam consuetudinem, quam Quintilianus praeceptoribus suis tribuit, ceteri quoque grammatici commemorant. Quorum et Charisius et Velius et Scaurus etiam eandem illius usus causam proferunt.

I 4, 8: 'Et medius est quidam u et i litterae sonus: non enim sic «optimum» dicimus ut aut «optumum» aut «optimum»; et in «here» neque e plane neque i auditur'. Quocum loco iungenda sunt verba I 7, 21: 'Iam «optimus maximus» ut mediam i litteram, quae veteribus u fuerat, acciperent, C. primum Caesaris institutione traditur factum; «here» nunc e littera terminamus: at veterum comicorum adhuc in libris invenio «heri ad me venit» (Terent. Phormion. 1, 1, 2)'. Ad alteram scripturam conferas, quod ait *Charisius* p. 200, 11 K auctore *Iulio Romano:* 'Heri Terentius in Phormione («heri ad me venit») . . Quidam «here» putant dici debere'. Caesaris autem institutum commemorat etiam *Cornutus* p. 2284 P: '«Maxumus an maximus» et similia . . quo modo scribi debeant quaesitum est. *Terentius Varro* (de sermone latino I fr. 43 W.) tradit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere. Inde propter auctoritatem viri consuetudinem factam' et *Marius Victorinus* p. 9, 3 K: 'C. Caesar . . «optimus maximus» scripsit'. Deinde de medio illo i et u litterae sono dicit *Velius Longus* p. 2216 P: 'I vero littera interdum exilis est, interdum pinguior . . ut iam in ambiguitatem cadat, utrum per i quaedam debeant*) dici an per u, ut «optumus maxumus»' et *Scaurus* p. 2259: 'In vocalibus ergo quaeritur «maximus an maxumus», id est per u an per i, debeat scribi; item «optimus an optumus»' et *Diomedes* p. 422, 17 et *Donatus* p. 367, 14: 'Hae (i et u) etiam mediae dicuntur, quia in quibusdam dictionibus expressum sonum non habent, ut «vir optumus»' et *Marius Victorinus* p. 20, 1 K: 'Sunt qui inter u quoque et i litteras supputant deesse nobis vocem, sed pinguius quam i, exilius quam u (sonantem): sed, pace eorum dixerim, non vident y litteram desiderari'.

I 4, 9: 'An rursus aliae redundent: praeter notam illam adspirationis, quae si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit; ut k, quae et ipsa quorundam nominum nota est; et q, cuius similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, coppa apud Graecos nunc tantum in numero manet; et nostrarum ultima (sc. x littera); qua tam carere potuimus, quam psi non quaerimus'. Adde verba I 5, 19: 'Si h littera est, non nota' et XII 10, 30: 'Duras et illa syllabas facit, quae ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est utilis, alias supervacua: «equos» hac et

*) 'habeant' Putsch.; 'debeant' Schneider. gr. lat. I p. 20.

«aequum» scribimus' et I 7, 10: 'Nam k quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quae significat; etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quotiens a sequatur, necessariam credunt; cum sit c littera, quae ad omnes vocales vim suam perferat'. Fuit autem *Varro*, qui inter litteras neque h neque k q x locum concederet; quod testatur *Priscianus* I p. 13, 9 H: 'Auctoritas Varronis (de antiquitate litterarum II fr. 105 W.) nec k nec q nec h in numero adhibet litterarum' et *Cornutus* p. 2286 P: 'In libro, qui est de grammatica, Varro (de grammatica fr. 95 W.): litterarum partim . . dicuntur neque sunt ut h et x'. Deinde *Marius Victorinus* p. 5, 26 K dicit: 'Supervacuae quibusdam videntur k et q, quia c littera harum locum possit implere. h quoque adspirationis notam, non litteram existimamus . . x per c et s possemus scribere (8, 16)' et *Diomedes* p. 423, 31 (et *Donatus* p. 368, 12) K: 'Quidam Latino sermoni sufficere decem et septem litteras crediderunt, si quidem ex viginti et tribus una adspirationis nota est h, una duplex x, duae supervacuae k et q, duae Graecae y et z' et *Scaurus* p. 2258 et 61 'h et q quibusdam supervacuas videri' et *Maximus Victorinus* p. 195 K 'k et q supervacuas, h adspirationis notam'. Adde *Velium Longum*, qui 'q esse exclusam' testatur p. 2218 et 'h' p. 2217 et 'x' p. 2216, ubi ait: 'Excludunt quidam litteram x ea scilicet ratione, qua antiqui nostri repudiaverunt id quod apud Graecos est ψ'. Deinde *Scaurus* dicit p. 2253: 'Graeci κόππα, quod pro hac (q littera) ponebant, omiserunt' et *Marius Victorinus* p. 23, 26 K: 'Scripseram . . q in Graecis etiam litteris fuisse et nunc esse, sed nonaginta significare'. Tum *Priscianus* ait I p. 35, 24 H: 'H litteram non esse ostendimus, sed notam adspirationis. Quam Graecorum antiquissimi similiter ut Latini in versu scribebant: nunc autem diviserunt et dextram eius partem supra litteram ponentes ψιλῆς notam habent, quam *Remmius Palaemon* exilem, Grilli us . . levem nominat, sinistram autem contrariae adspirationis, quam Grillius flatilem vocat'. Verbis autem I 7, 10 'Nam k quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quae significat. . Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quotiens a sequatur, necessariam credunt' Quintilianus vulgarem grammaticorum doctrinam impugnare videtur. Dicit enim *Donatus* p. 368, 8 (et *Diomedes* p. 423, 13) K: 'Nesciunt quotiens a sequitur, k litteram praeponendam esse' et *Velius* p. 2218: 'Qui k expellunt, notam dicunt esse magis, quam litteram . . At qui illam esse litteram definiunt, necessariam putant esse*) nominibus, quae cum a sonante(?) hanc litteram inchoant'. Deinde *Scaurus* ait p. 2252: 'K quidam supervacuam esse litteram iudicaverunt, quoniam vice illius fungi c satis posset. Sed retenta est, ut quidam putant, quoniam notas quasdam significaret . . Hac tamen antiqui ibi tantum utebantur, ubi a littera subiungenda erat' et Marius Victo-

*) 'putant esse' Brambach. orth. l. p. 210; 'putantes' Putsch.

rinus p. 7, 7 K: 'K autem dicitur monophonos, quia nulli vocali iungitur nisi soli a brevi'. Nomina autem, quorum k sit nota, laudantur a Velio et Scauro l. l. 'kalumnia kaput Kalendae Kaeso'.

I 4, 10: 'Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia «iam» sicut «etiam» scribitur et «uos» ut «tuos»'. Conferatur *Velius Longus* p. 2215: 'Duae litterae et vocalium vim et consonantium obtinent, u et i'. Deinde uno ore dicunt *Marius Victorinus* p. 5, 18, *Charisius* p. 8, 1, *Diomedes* p. 422, 14, *Donatus* p. 367, 12: 'I et u transeunt in consonantium potestatem'.

I 4, 10 et vocalium geminatio commemoratur et apicis usus. Altera consuetudo etiam I 7, 2 traditur, altera I 7, 14.

I 4, 11: 'Atqui littera i sibi insidit: «coniicit» enim est ab illo «iacit»'. Conferatur *Gellius* 4, 17, 7, qui *Probum* auctorem secutus videtur I. Kretzschmero ('de auctoribus Gellii grammaticis' p. 90): 'Secunda enim littera*) in his verbis («conicere subicere obicere») per duo i, non per unum scribenda est. Nam verbum ipsum non est «icio», sed «iacio»'. Praeterea *Diomedes* p. 422, 22 et *Donatus* p. 367, 19: 'I geminari in una syllaba posse plurimi negant' et *Velius* p. 2232: 'Ut cum dico «Troia» per i unum an per duo scribere debeam et «coicit» per unum i an per duo an per tria' atque p. 2219: 'Cicero per duo i scribendum existimavit . . «Troiiam» . . Inde crescit ista geminatio et incipit per i tria scribi «coiiicit»'.

I 4, 11: 'Sciat etiam Ciceroni placuisse «aiio Maiiamque» geminata i scribere'. Conferatur *Velius* l. l.: 'Cicero . . «Aiiacem et Maiiam» per duo i scribenda existimavit . . sic et «Troiiam» et si qua talia sunt' et *Pompeius* p. 105, 30 K: 'I littera geminari potest tunc, quando inter duas vocales est constituta, puta «Maia . . aio . . Troia»' et *Priscianus* I p. 494, 3 H: 'Geminabatur (i) a vetustissimis, «aiio»' et *Servius* ad Aeneid. 1, 1: '*Probus* ait «Troiam Graios et Aiax» non debere per unam i scribi' et *Marius Victorinus* p. 24, 21 (et 27, 9) K: 'Sibi autem ipsa (i) subiungitur in his, ut «aiio Troiia Graiius Aiiax»'.

I 4, 12: 'Nec miretur (puer), cur fiat . . a «pinno», quod est acutum, securis utrimque habens aciem «bipennis»: ne illorum sequatur errorem, qui, quia a «pennis» duabus hoc esse nomen existimant, «pennas» avium dici volunt'. Quibus verbis extremis vituperari videtur sollemnis grammaticorum doctrina. Primum enim comparandus est *Isidorus*, qui dicit orig. 19, 19, 11: '(Securis) apud veteres «penna» (pinna al.) vocabatur, utrimque autem habens aciem bipennis. Nam «bipennis» dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem quasi duas «pennas». «Pennum» autem antiqui acutum dicebant. Unde et avium «pennae» quia acutae. Et ecce nomen, quod reservavit antiquitatem, quia veteres «pennas» dicebant, non «pinnas»' et 11, 1, 46: '«Pennum» (pinnum al.) enim antiqui acutum dicebant, unde et »bipennis» et «penna» (pinna al.)'. Ex eodem fonte *Servius* hausit ad

*) 'syllaba'?

Aeneid. 11, 651: 'Bipennis' dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem quasi duas «pinnas», quas antiqui «pennas»*) dicebant'. Accedit *Nonius* p. 79: 'Bipennis' manifestum est id dici, quod ex utraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnari («pinnas» ed. Aldina) vocant eleganter'; deinde ex solo Varrone exempla afferuntur. Demonstrat autem P. Schmidtius ('de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis' p. 130) Nonium nonnunquam, si exempla Varroniana laudet, quae ipse Varro docuerit, repetere. *Varro* igitur huius universae doctrinae auctor fuisse potest. Sed num hic discrimen statuerit inter murorum «pinnas» et «pennas» avium non sat liquet. Quamquam dicit L. L. 5, 142: 'Muri summa «pinnae» ab his, quas insigniti milites habere in galeis solent'. Varronis autem auctoritatem secutum esse *Verrium Flaccum* concludere possis ex verbis Festi p. 209 sic a Muellero restitutis: '«Pennas» antiquos ferunt appellasse «petnas» ex Graeco, quod illi πετηνά ea, quae sunt volucria, dicant'. Deinde Verrii vestigia pressisse potest *Caper*, qui ait p. 2243: '«Pinnas» murorum, «pennas» avium dicimus'.

I 4, 13 eius mutationis, quam adferant declinatio et praepositio, exemplum ponitur: 'Fit a «lavando» «lotus»**) et inde rursus «inlotus»***)'. Comparari potest *Priscianus* I 39, 7 H: 'Solet fieri, ut antecedente a et u loco consonantis sequente, si abiciatur vocalis posita post eam, au diphthongus fiat u redeunte in vocalem, ut «lavor lautus» . . Transit (au) in o productam more antiquo, ut «lotus» pro «lautus»' et *Probus* 118, 37 K: 'Sunt nomina, quae o litteram et in au litteras convertant, ut puta «lotus et lautus» et cetera talia'.

I 4, 13 sequuntur vocabula, quae rectis quoque casibus aetate transierint: 'Nam ut «Valesii Fusii» in «Valerios Furiosque» venerunt, ita «arbos labos vapos» etiam et «clamos», ac «lases et asa» fuerunt'. Eandem verborum mutationem tradit *Macrobius* 3, 2, 8 (= *Servius* ad Aeneid. 4, 219): '*Varro* divinarum libro V dicit aras primum «asas» dictas . . commutatione litterarum «aras» dici coeptas, ut «Valesios et Fusios» dictos prius, nunc «Valerios et Furios»' et *Scaurus* p. 2252 P: 'Item Furios dicimus, quos antiqui «Fusios», et aras, quas illi «asas», et lares, quos «lases»'. Deinde *Varro* ait L. L. 6, 2: 'Ab «lasibus» lares' et 7, 26: 'In multis verbis . . . antiqui dicebant s, postea dictum r' et *Festus* (cf. Muelleri annot. p. 15, 3) Pauli p. 264 M: 'S pro r littera saepe antiqui posuerunt, ut «maiosibus meliosibus lasibus fesiis»' et p. 213: '«Pignosa» pignora eo modo, quo «Valesii Auselii» .. dicebantur'.

---

*) 'pennas' inserui collato Isidori loco et verbis Servii Aeneid. 2, 479: 'bipenni. hoc nomen reservavit antiquitatem, quia veteres pennas dicebant, non pinnas'.

**) 'lautus' Spaldingius; 'lotus' ABn.

***) 'inlutus' F. Bahlmannus 'Quaestiones Quintilianeae' Berolini 1859 p. 17; 'inlotus' Ambrosianus, 'inlatus(?)' Bernensis.

Denique conferatur *Marius Victorinus* p. 7, 31 K: 'R et s litterae apud antiquos communem potestatem habebant: «arbos labos honos», nunc arbor labor honor' et *Festus* Pauli p. 15 M: '«Arbosem» pro arbore antiqui dicebant'.

I 4, 14: 'Atque haec ipsa s littera, ab his nominibus exclusa, in quibusdam ipsa alteri successit: nam «mertare atque pultare» dicebant'. Cf. *Festus* Pauli p. 124 et 81: '«Mertat» pro mersat dicebant'.

I 4, 14: 'Quin «fordeum faedosque» (dicebant) pro aspiratione f ut simili littera utentes'. Ait *Velius Longus* p. 2230 auctore *Varrone* (de sermone Latino III fr. 58 W): 'Sicut s familiariter in r transit, ita f in vicinam adspirationem mutatur . . Similiter et haedos dicimus cum adspiratione, quoniam «faedi» dicebantur apud antiquos; item hircos, quoniam eosdem aeque «fircos» dicebant. Nam et e contrario quam antiqui «habam» dicebant, nos fabam dicimus' et p. 2238: 'Iustius quis dixerit . . hordeum, quia (apud antiquos erat) «fordeum et . . firci . . et faedi»'. Eundem fontem adiit *Scaurus* p. 2250. 52. 58. Praeterea *Festus* Pauli p. 84 M testatur: '«Faedum» antiqui dicebant pro haedo'.

I 4, 15: 'Sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde «Burrus et Bruges et Belena»: nec non eadem fecit ex «duello» «bellum», unde «Duelios» quidam dicere «Belios» ausi'. Hoc loco Quintiliani fons fuit *Ciceronis* Orat. 48, 160: '«Burrum» semper Ennius, numquam Pyrrhum; . . «Bruges» non Phryges' et 45, 153: 'Nam ut «duellum bellum» .., sic Duellium eum, qui Poenos classe devicit, «Bellium» nominaverunt, cum superiores appellati essent semper «Duellii»'.

I 4, 16: 'Quid «stlocus stlitesque»?' Cf. *Festus* Pauli p. 312 M: '«Stlocum» pro locum et «stlitem» pro litem dicebant'.

I 4, 16: 'Quid o atque u permutata invicem?' Eandem vicissitudinem tractat *Velius* p. 2216 et *Marius Victorinus* p. 11, 16 K et *Cornutus* p. 2285 P.

Litteris pertractatis statim transibo ad libri primi caput septimum, quo de orthographia Quintilianus loquitur (I 7, 1—31). Nam hae duae partes arte cohaerent. Neque solum I 7, 13. 14. 26 ea, quae de litteris dixit, noster respicit, sed etiam I 7, 2. 10. 21. 22 eaedem res, quae I 4 prolatae sunt, tractantur.

I 7, 2: 'Longis syllabis omnibus adponere apicem ineptissimum est . .: sed interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit'. Idem *Varro* praecepit, scilicet ut in eis vocibus solis apex usurparetur, quae aliam correpta, aliam producta vocali significationem haberent. Nam in fragmento, quod Scauri libro agglutinatum (p. 2262, 12—2264, 43 P) Varronis de sermone latino libris V et I Usenerus reddidit in Mus. Rhen. 24 p. 94 sq, haec verba leguntur p. 2264 P (de sermone latino I): 'Apices ibi poni debent, ubi isdem litteris alia atque alia res designatur, ut «venit et vénit, aret

et áret, legit et légit» ceteraque his similia'. Primo autem apicis usus evaluit, ut geminatione vocalium omissa litterae a e o u natura longae a brevibus distinguerentur (Ritschl. Mus. Rhen. 14 p. 315. Mon. ep. tr. p. 31) auctore, ut Usenerus l. l. p. 108 conicit, Nigidio Figulo. Quam rationem sua auctoritate *Verrius Flaccus* firmavit (Usener. p. 107; Schadius p. 47). Itaque Varronem secutus noster Verrii Flacci doctrinam impugnat.

I 7, 4: 'Similiter putaverunt illa quoque servanda discrimina, ut «ex» praepositionem, si verbum sequeretur «specto», adiecta secundae syllabae s littera: si «pecto», remota scriberemus'. Conferatur *Caecilius (Vindex)* apud Cassiodorum p. 2315, 5 P: 'Ab eo verbo, quod est «pecto», id est pectino . . «expecto»; ab eo, quod est «specto» . . «exspecto»' et *Beda* p. 2334: '«Expecto» ab eo, quod pectino, sine s scribendum'. Praeterea *Scaurus* ait p. 2258, 2 P: 'Cum «exul et expectatus» sine s littera scribuntur, cum alioqui adiecta ea debeant scribi'.

I 7, 5: 'Illa quoque servata est a multis differentia, ut «ad», cum esset praepositio, d litteram: cum autem coniunctio, t acciperet'. Quos inter grammaticos fuisse *Verrium Flaccum* elucet e Pauli verbis p. 12 M (cf. Schadius p. 41): '«Ad» aut proprie personam significat, ut «eo ad Pompeium» aut locum, ut «abiit ad theatrum»' et p. 13: '«At» differentiam rerum significat, ut cum dicimus «Scipio est bellator, at Marcus Cato orator»'. Eadem lege tenentur *Velius Longus* p. 2225 et *Scaurus* p. 2251 P et *Marius Victorinus* p. 10, 11 K.

I 7, 5: 'Illa quoque servata est a multis differentia, ut..«cum», si tempus significaret, per q: si comitem, per c ac duas sequentes scriberetur'. Qua in voce iam *Varro* aliquod discrimen observasse videtur. Illum enim coniunctionem per «quom», contra praepositionem per «qum» scripsisse Usenerus Mus. Rhen. 24 p. 103 conicit. Contra illam differentiam, quae a Quintiliano commemoratur, a *Verrio Flacco* servatam esse concludas collatis verbis *Marii Victorini* p. 13, 11 K: 'Hoc custodite, ut «cum», si*) fuerit adverbium temporis, per q et u sive unum sive duo scribatis, ut «qum primum et quum hoc facerem»; at, si erit coniunctio(?**), ut «cum Gaio, cum Lucio», per c scribi debeat'. Marii enim auctorem, cum diceret «cum Gaio, cum Lucio» Verrium Flaccum fuisse ingeniosa est Usenері coniectura (p. 112 adnot. 18). Easdem formas «cum et qum» in animo habuisse videtur *Velius Longus* p. 2231: 'Q quoque littera facit differentiam vocum ab antiquis maxime observatam: «cum»***) quotiens pro adverbio temporis scribebant, q littera utebantur; pro praepositione, c ponebant' et *Caper* p. 2241: 'Si praepositio erit «cum», per c scribendum; (si) adverbium temporis aut causae, per q'.

*) 'si' inser. Usener. l. l.
**) 'coniunctionis' idem.
***) 'cum' inser. Brambach. orth. p. 227.

Deinde *Servius* dicit p. 423, 2 K: 'Illi (maiores) q praeponebant, quotiens u sequebatur, ut «qum»; nos vero non possumus q praeponere, nisi et u sequatur et post ipsam alia vocalis' et *Scaurus* p. 2261: 'Cum quidam per «cum», nonnulli «quom». Quidam etiam esse differentiam putant, quod praepositio quidem per c, illo modo «cum Claudio, cum Camillo»: adverbium autem per q debeat scribi, ut «quom legissem, quom fecissem»'.

I 7, 6: 'Frigidiora his alia, ut «quidquid» c quartam haberet, ne interrogare bis videremur; et «quotidie», non «cotidie», ut esset «quot diebus»'. Formam «quicquid» praefert *Marius Victorinus* p. 13, 25 K prolata ea causa, quam Quintilianus repudiat: 'Nam cum sint composita et confusa (quicquam et «quicquid»), si utramque vocem suis litteris scriptam relinquatis, duas partes orationis separatas relinquetis' et *Caper* p. 2241: '«Quicquid» in priore syllaba c littera, in secunda d scribendum, quoniam d inter duas voces*) dividit'. Alteram scripturam «quotidie» defendit *Cornutus* p. 2283 P: '«Quotidie» sunt qui per co «cotidie» scribant . . desinerent, si scirent quotidie tractum esse a «quot diebus»'. *Marius* autem *Victorinus* ait p. 13, 22 K: '«Cotidie» a «quoto die» . . attamen per c (potius) quam per q scribitur'. Contra *Velius Longus* p. 2237, 33 P: 'Per quo «quotidie» dicunt, cum et dicatur melius et scribatur per co «cotidie»**): non enim est quotidie a «quoto die» ***) dictum, sed a «continenti die» cotidie tractum' et *Papirianus* 2290, 27 P: '«Cotidie» per c et o dicitur et scribitur, non†) per q, quia non a «quoto die», sed a «continenti die» dictum est'.

I 7, 7: 'Quaeri solet, in scribendo praepositiones sonum, quem iunctae efficiunt, an quem separatae, observare conveniat, ut cum dico «optinuit» . . et «immunis»'; cf. XI 3, 35. Praepositiones ut assimilentur praecipiunt *Velius Longus* p. 2224. 7 et *Cornutus* p. 2285 et *Scaurus* p. 2260 et *Marius Victorinus* p. 18, 18 K. Praeterea *Priscianus* ait I p. 31, 1 H: '(n) transit in m sequentibus b vel m vel p, auctore *Plinio* et *Papiriano* et *Probo*'.

I 7, 9: 'Est et in dividendis verbis observatio, mediam litteram consonantem priori an sequenti syllabae adiungas'. Quae res saepe a grammaticis tractatur (cf. Brambach. orth. lat. p. 6). Ita *Scaurus* p. 2251, 3 dividi vult 'ne—scio' et p. 2262, 1 'neg—otium' 'ne—scire' 'ex—sul' et *Curtius Valerianus* p. 2289 'aps—condo' sed 'ob—stupui' et *Caper* p. 2241, 30 'no—strum' 'maie—stas'.

I 7, 10 de litterae k usu noster loquitur (supra p. 366).

I 7, 11—27 mutatae orthographiae exempla afferuntur.

---

*) 'voces' Brambach. p. 254; 'vocales' P.

**) 'Per quo quotidie dicunt, quam per co cotidie cum et dicatur melius et scribatur: non enim etc.' Putsch.; transponendo locum correxi.

***) 'die' addidi.

†) 'non' addidi; 'nec scribitur per q' conicit Brambach. orth. lat. p. 236.

I 7, 11: 'Illa vetustissima transeo tempora, quibus et pauciores litterae .. fuerunt et vis quoque diversa; sicut apud Graecos o litterae, quae interim longa ac brevis, ut apud nos: interim pro syllaba, quam nomine suo exprimit, posita est'. Conferatur *Pompeius* p. 98, 20 K: 'Litterae apud maiores nostros non fuerunt XXIII, sed XVI .. Habemus hoc in libris ad Attium apud *Varronem* (de antiquitate litterarum fr. 104 W.)' et *Priscianus* I p. 11, 1 H: 'Apud antiquissimos Graecorum non plus sedecim erant litterae, quibus ab illis acceptis Latini antiquitatem servaverunt perpetuam'. Tum *Marius Victorinus* dicit p. 23, 22 (et 11, 10) K: 'Scripseram .. nostros antea, sicuti Graecos quoque, XVI litteris usos .. et significaveram, priusquam Graecis inter vocales repertae sunt η et ω, vicem earum, tam apud illos quam apud nos, explesse ε et ο: ο etiam scribi solitam pro syllaba ου'.

I 7, 12 (cf. Ritschl. Nov. excurs. Plaut. I p. 3 sq): 'Ut (transeo) a Latinis veteribus d plurimis in verbis adiectam ultimam, quod manifestum est etiam*) ex columna rostrata, quae est Duilio in foro posita'. Eandem d finalem memorat *Marius Victorinus* p. 15, 23 K, ubi de negatione 'haud' loquitur: 'adiecta d littera, quam plerisque verbis adiciebant'. Eadem negatione laudata *Charisius* p. 112, 8 K auctore *Iulio Romano* addit: '(Antiquis) mos erat d litteram omnibus paene vocibus vocali littera finitis adiungere'.

I 7, 14: 'Semivocales geminare diu non fuit usitatissimi moris; atque e contrario usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt'; dixit autem I 4, 10: 'Quae ut vocales iunguntur, .. unam longam faciunt, ut veteres scripserunt, qui geminatione earum velut apice utebantur'. Neutra res vera est. Primum enim non tantum nulla semivocalium, sed omnino nulla consonantium geminatio ante Ennium fuit (Ritschl. Mon. ep. tr. p. 27 adn.; P. L. M. p. 124). Quod et monumenta docent et scriptores tradunt. Testatur enim *Festus* et aliis locis (Schneider. gr. lat. p. 394) et p. 293 M: 'Nulla tunc geminabatur littera in scribendo. Quam consuetudinem Ennius mutasse fertur utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas, semivocales et liquidas'. Idem *Marius Victorinus* tradit p. 8, 1 K: 'Consonantes litteras (antiqui) non geminabant, ut in his «Annius Lucullus Marcellus Memmius» et ceteris his similibus'; quocum loco Schadius verba Festi contulit p. 355: 'Nam antiqui nec mutas nec semivocales litteras geminabant, ut fit in «Ennio Arrio Annio»'. At cur solas semivocales Victorinum in mente habuisse statuamus, id quod ex laudatis exemplis Schadius p. 4 concludit, nullam video causam. Immo p. 9, 22 K praecipit, ut consonantes geminentur, quotiens duplicis litterae sonus percutiat

*) I 7, 12. 'etiam nunc' Th. Bergkius 'symbol. grammat. lat.' I p. 8. Sed cf. I 7, 28. III 5, 14. 10, 3, 8. 8 Pr. 15. 2, 8, 2.

aures, ut in «sabbatis saccis effert» etc. Itaque solius Quintiliani errorem deprehendimus. Neque magis alterum testimonium linguae latinae historia firmatur. Nam ab ipso Accio vocalium geminationem esse inductam et inscriptiones demonstrant et ceterorum grammaticorum verba (Ritschl. Mon. ep. tr. III). Quorum *Scaurus* ait p. 2255: 'Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit, cum alioqui adiecto vel sublato apice, longitudinis et brevitatis nota, posset ostendi' et *Velius Longus* p. 2220: 'Nec Accium secuti sumus semper vocales geminantem, ubicunque producitur syllaba'. Accedit *Marii Victorini* testimonium a Ritschelio restitutum p. 8, 12 K: '(Accius), cum longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebat, praeterquam quae in i litteram incideret: hanc enim per e et i scribebat'.

I 7, 15: 'Diutius duravit ut e et i iungendis eadem ratione, qua Graeci ει uterentur; ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius praecipit: «Iam pueri venere, e postremum facito atque i, Ut pueri plures fiant»'. Conferatur *Velius Longus* p. 2220 P, qui laudata Accii geminatione pergit: 'Hic quaeritur etiam an per e et i quaedam debeant scribi secundum consuetudinem Graecam. Nonnulli enim ea, quae producerentur, sic scripserunt. Alii contenti fuerunt huic productioni i longam ut*) notam dedisse. Alii vero, quorum est item Lucilius, varie scriptitaverunt: si quidem in his, quae producerentur, alia per i longam, alia per e et i notaverunt . . Lucilius in nono: «Iam puerei venere» etc.' et *Scaurus* p. 2255: 'Lucilius, ubi i exile est, per se iubet scribi: at ubi plenum est, praeponendum esse e credit . . Quam inconstantiam arguens *Varro* (de sermone latino I fr. 44 W; cf. Usener. Mus. Rhen. 24 p. 105) in eundem errorem diversa via delabitur, dicens in plurali quidem numero debere i litterae e praeponi, in singulari vero minime'. Deinde comparetur *Marius Victorinus* p. 17, 21 K: 'Cum vero eadem i e litterae iuncta esset . . nominativum pluralem . . significabat, ut «amicei bonei» . . At si per solum i scripta esset, eadem genetivum singularem faciebat, ut «huius amici» et cetera'.

I 7, 17: 'Etiam impedimento erit (sc. ei scriptura); sicut in graecis accidit adiectione i litterae, quam non solum dativis casibus in parte ultima adscribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in λητιστηι'. Conferatur *Marius Victorinus* p. 17, 14 K: '(Iota a Graecis) in quibusdam mediis interponitur verbis, ut Αιδης, et in extremis . . dativis casibus adiungitur'.

I 7, 18: 'Ae syllabam, cuius secundam nunc e litteram ponimus, varie per a et i efferebant: quidam semper ut Graeci; quidam singulariter tantum cum in dativum vel genetivum casum incidissent, unde «pictai vestis et aquai» Vergilius . . carminibus inseruit: in eisdem plurali numero e utebantur «hi Syllae Galbae»'. De eadem scriptura *Festus* Pauli ait p. 25, 14 M: 'Ae syllabam antiqui Graeca consuetu-

*) 'aut' Putsch.; 'ut' Usener. (Wilmanns. l. l. p. 174).

dine per ai scribebant ut «aulai Musai»'; quocum loco Schadius p. 42 coniungit verba *Pompei* p. 297, 28 K: 'Diaeresis est, quotiens una syllaba in duas dividitur . . ut apud Vergilium «dives pictai vestis et auri» «aulai» . . Legite *Verrium Flaccum* et Catonem et ibi invenietis. Ita enim scribebant maiores nostri'. Deinde conferatur *Marius Victorinus* p. 14, 1 K: 'Ae syllabam quidam more Graecorum per ai scribunt; ne illud quidem custodientes, quod omnes fere, qui de orthographia aliquid scriptum reliquerunt, praecipiunt nomina feminina casu nominativo a finita numero plurali in ae exire, ut «Aeliae»: eadem per a et i scripta numerum singularem ostendere, ut «huius Aeliai»; inducti a poetis, qui «pictai vestis» scripserunt, et quod Graeci per i . . hanc syllabam scribunt'; et *Velius Longus* p. 2222: 'Illud etiam annotandum circa i litteram est, quod ea, quae nos per ae, antiqui per ai scriptitaverunt «Iuliai Claudiai». Sed quidam in hac quoque scriptione voluerunt esse differentiam, ut pluralis quidem numeri nominativus casus per a et e scribatur, genitivus vero singularis per a et i; hoc quoque argumentantes, quod diaeresis . . a nominativo plurali non sit, sed ex singulari obliquo, cum dicitur «aulai . .» et «dives pictai vestis»'; et *Scaurus* p. 2254: 'Apud antiquos i littera pro e scribebatur: ut . . «pictai vestis et aulai»' et p. 2259: 'Illud, de quo diximus: utrum per ai an per ae genetivo et dativo singulari, et nominativo et vocativo plurali . . scribenda sint «Senecae et Catilinae et Perpennae»'.

I 7, 19: 'Est in hac quoque parte Lucili praeceptum; quod quia pluribus explicatur versibus, si quis parum credet, apud ipsum in nono requirat'. Doctrinam Lucilianam partim cognoscimus ex verbis *Martiani Capellae* 3 § 266: 'Lucilius in dativo casu a et e coniungit dicens «huic Terentiae Orbiliae»; . . Lucretius crebro (a et i) et noster Maro «aulai pictai»'. Quocum loco conferendum est, quod apud Gellium 13, 26, 4 Nigidius «huic terrae», sed «huius terrai» scribendum esse monet.

I 7, 20: 'Quid quod Ciceronis temporibus paulumque infra fere quotiens s littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur, ut «caussae cassus divissiones»?'. Eundem usum etiam ceteri grammatici tradunt. Ait enim *Marius Victorinus* p. 8, 5 K: '(Antiqui) voces, quae pressiore sono eduntur, «ausus causa fusus odiosus», per duo s scribebant' et *Cornutus* p. 2283: '«Causa» per unum s nec quemquam moveat antiqua scriptura; nam et «accussare» per duo s scripserunt' et *Scaurus* p. 2257: '«Causam» multis scio per duo s scribi' et *Velius Longus* p. 2233 (2237): 'In «accusatore et comisatore» quaeritur geminatis consonantibus an simplicibus scribendum et enuntiandum'.

I 7, 21 Caesaris institutum commemoratur, quo «optimus maximus» scribatur; § 22 scriptura «heri» laudatur (supra p. 365).

I 7, 23 usus Catoniani testis producitur *Messala*, Liviani § 24 *Pedianus*.

I 7, 25: 'Quid dicam «vortices» et «vorsus» ceteraque in eundem modum, quae primus Scipio Africanus in e litteram secundam vertisse dicitur?'. Quam mutationem tangit etiam *Marius Victorinus* p. 10, 22 K: '«Voster vortit» et similia per e, non per o scribere debemus' et *Cornutus* p. 2283 P: '«Vostra» olim ita per o, hodie per e, ut «advorsum» adversum, . . «votare» vetare, «vortex» vertex'.

I 7, 26 praeceptorum consuetudo uo pro u gemina scribendi traditur (supra p. 364).

I 7, 27: 'Illud nunc melius, quod «cui» tribus, quas posui, litteris enotamus; in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum «q et u et o et i» utebantur, tantum ut ab illo «qui» distingueretur'. Etiam *Varronem* «quoi» scripsisse elucet ex fragmento p. 2262, 14 P (de sermone latino I; cf. Usener. Mus. Rhen. 24 p. 96): 'Alibi sic: quotiens u sequitur, q ponendum, ut per quo litteras . . «quoi» . . dicimus'. Praeterea *Velius Longus* dicit per 2231 (35. 36): 'Hoc amplius, quo pinguior esset enuntiatio, o quoque inserebant et pro «qui» «quoi» scribebant'. Conferatur etiam *Scaurus* p. 2261: 'C autem in dativo ponemus, ut sit differentia «cui» et «qui»' et *Marius Victorinus* p. 13, 10 K: 'Cuius per «quoius» litteras scribebant'.

I 7, 28 et 29 nomina laudantur, quae aliter scribantur, aliter enuntientur: 'Nam et «Gaius» C littera significatur: quae inversa «mulierem» declarat, quia tam «Gaias» esse vocitatas, quam «Gaios» etiam ex nuptialibus sacris apparet; nec «Gnaeus» eam litteram in praenominis nota accipit, qua sonat; . . et «Subura», cum tribus litteris notatur, c tertiam ostendit'. Conferatur *Marius Victorinus* p. 24, 12 K: '(Significaveram) c et nomen habuisse g et usum praestitisse, quod nunc «Gaius» per C et «Gneius» per Cn, quamvis utriusque syllabae sonus g exprimat, scribuntur'. Praeterea *Velius Longus* p. 2218: 'O conversum, quo «Gaia» significatur; quod notae genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris ostenditur. «Gaias» enim generaliter prisci «has omnes mulieres» accipere voluerunt'. De «Subura» autem dicit *Varro* L. L. 5, 48: 'Sed ego a pago potius «Succusano» dictam puto «Succusam»: nunc*) scribitur tertia littera C non B' et *Festus* p. 309 (302. 308): '«Suburam» *Verrius* alio libro a pago «Succusano» dictam ait . . indicioque esse, quod adhuc ea tribus (?) per c litteram, non b scribatur'.

I 7, 30 Quintilianus addit: 'Ego, nisi quod consuetudo optinuerit, sic scribendum quidque iudico, quomodo sonat'. De eadem re haec leguntur apud *Cornutum* p. 2283: 'Nonnulli putant auribus deserviendum atque ita scribendum, ut auditur . . Ego non omnia auribus dederim' et apud *Velium* p. 2219: 'Occurrit statim ita quosdam censuisse esse scribendum, ut loquimur et audimus . . Sed confitendum quaedam aliter scribi, aliter enuntiari'.

*) 'quod in nota etiam nunc' conicit Muellerus.

Hucusque progressi paulisper subsistamus, ut viam, quam adhuc percurrimus, respiciamus. Cuius viae maxima in parte non aliae copiae spectantur, nisi quae conditae sunt etiam in scriniis ceterorum grammaticorum, qui, postquam Varro huius scientiae fundamenta iecit, artem grammaticam tractarunt atque ad suam quisque aetatem aptaverunt. Praeterea fere omnes res, quae a Quintiliano proferuntur, videmus arte coniunctas et conexas. Itaque iure colligas Quintiliano unius imprimis auctoris opus in his partibus fundamentum fuisse. Cuius grammatici aetas certis finibus continetur. Constat enim Claudiani digammi mentionem (I 4, 8. I 7, 26) a Quintiliano non suo Marte insertam esse, sed ex alio libro translatam (p. 364). Quae cum ita sint, non stat Schadii sententia, qua imprimis Verrii Flacci auctoritate Quintilianus nititur (supra p. 362). Quae coniectura etiam alio argumento profligari potest. Etenim si Schadium secuti ipsos Verrii libros ab orthographiae scriptoribus Mario Victorino et Velio Longo et Terentio Scauro aditos esse statuamus, quo modo factum esse dicemus, quod doctrinam et vocalium et consonantium geminatarum illi grammatici aliam, aliam Quintilianus tradat (p. 372)? Quae difficultas Schadium non fugit, sed illius disputatione p. 4 et 20 minime sublata est. Immo Varronis vestigiis Verrius institisse, Verrii atque Varronis copias Quintilianeus auctor compilasse videtur. Nam in Varronis libris 'de sermone Latino' inscriptis prioribus et in eiusdem opere 'de grammatica' composito pleraeque res, quas Quintilianus tangit, tractatae erant (cf. etiam A. Wilmannsius 'de Varronis libris grammaticis' p. 79 sq; 98 sq). Certa autem vestigia, quae ad Verrii Flacci opus 'de orthographia' inscriptum ducant, eis locis exstant, quibus Quintilianus de 'apicis' usu (p. 369) et de 'qum' scriptura (p. 370) et deVergiliano illo 'pictai vestis' (p. 374) loquitur. Haec interim notare volui.

Restant in quarto capite ea, quae de orationis partibus Quintilianus I 4, 17 — 29 affert.

I 4, 18: 'Veteres, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, verba modo et nomina et convinctiones tradiderunt . . Paulatim a philosophis ac maxime Stoicis auctus est numerus ac primum convinctionibus articuli adiecti, post praepositiones: nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mixtum verbo participium: ipsis verbis adverbia'. Quintiliani fons fuit *Dionysi Halicarnassei* de comp. verbor. caput II (p. 18 Sch.): Ταῦτα δὲ (sc. τῆς λέξεως στοιχεῖα) Θεοδέκτης μὲν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ κατ' ἐκείνους φιλοσοφήσαντες τοὺς χρόνους ἄχρι τριῶν προήγαγον, ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους πρῶτα μέρη τῆς λέξεως ποιοῦντες. Οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς γενόμενοι καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωικῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες ἕως τεττάρων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα. Εἶθ' οἱ μεταγενέστεροι τὰ προσηγορικὰ διελόντες ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν

πέντε ἀπεφήναντο τὰ πρῶτα μέρη. "Ετεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. Οἱ δὲ καὶ τὰ ἐπιρρήματα διεῖλον ἀπὸ τῶν ῥημάτων, καὶ τὰς προθέσεις ἀπὸ τῶν συνδέσμων, καὶ τὰς μετοχὰς ἀπὸ τῶν προσηγορικῶν'. Itaque fere ad verbum Quintilianus Dionysii locum transtulit. Causae quidem, quibus veteres tres orationis partes statuerint, infeliciter excogitatae sunt. Fugit enim Quintilianum vera Aristotelis doctrina (de arte poet. 20; de interpret. 1 sq).

I 4, 20 *Palaemon* laudatur, qui *Aristarchum* secutus octo partes orationis tradiderit. Uterque enim appellationem nomini subiecit (20), Palaemon praeterea pro articulis interiectiones recepit (19). Conferri possunt *Charisius* p. 152, 14 et *Diomedes* p. 300, 26, qui dicunt: 'Orationis partes sunt octo: nomen pronomen verbum adverbium participium coniunctio praepositio interiectio'.

I 4, 20: 'Nihilo minus fuerunt, qui ipsum adhuc vocabulum ab appellatione diducerent, ut esset vocabulum corpus visu tactuque manifestum «domus lectus», appellatio cui vel alterum deesset vel utrumque «ventus caelum, deus virtus»'. Aliquo modo comparari possunt verba *Charisii* p. 153, 2 K: 'Appellativa . . in duas species dividuntur, quarum altera significat res corporales, quae videri tangique possunt, . . altera incorporales, . . quae intellectu tantum modo percipiuntur, verum neque videri nec tangi possunt'. Similiora sunt, quae proferuntur *gram. lat.* I p. 533, 23 K (de quo libello conferatur Christius in Philologo 18 p. 136 sq): 'Appellativa . . in duas species dividuntur. Alia enim significant res corporales, quae videri tangique possunt, et a quibusdam vocabula appellantur . .; alia, quae a quibusdam appellationes dicuntur et sunt incorporalia, quae intellectu tantummodo percipiuntur, verum neque videri nec tangi possunt'. At Quintiliano adscito Charisii verba mutata videntur*).

I 4, 23: 'Non erit contentus (grammaticus) tradere in nominibus tria genera et quae sunt duobus omnibusve communia; nec statim diligentem eum putabo, qui promiscua, quae ἐπίκοινα dicuntur, ostenderit in quibus sexus uterque per alterum apparet, aut quae feminina positione mares aut neutrali feminas significant, qualia sunt« Murena» et «Glycerium»'. Conferatur *Donatus* p. 375 K: 'Genera nominum sunt quattuor: masculinum femininum neutrum commune . . Est epicoenon vel promiscuum, quod sub una significatione marem ac feminam comprehendit. . Sunt praeterea . . alia sono feminina, intellectu masculina, ut «Fenestella» scriptor; alia sono neutra, intellectu feminina, ut «Phronesium» mulier vel «Glycerium»'. Quinque priora genera enumerantur etiam a *Charisio* p. 17 et 153 et a *Diomede* p. 301 K.

I 4, 26: 'Quaerat etiam, sitne . . apud nos septimi (casus vis):

*) Omnino cavendum est, ne Quintiliani auctori tribuas, quae ipsi Quintiliano sunt repetenda. Frustula enim Quintilianea expiscati sunt grammatici Diomedes et Priscianus et Isidorus et alii.

nam cum dico «hasta percussi», non utor ablativi natura'. Conferatur *Donatus* p. 377, 20 K: 'Quidam adsumunt etiam septimum casum, qui est ablativo similis, sed sine praepositione ab, ut sit ablativus casus «ab oratore venio», septimus casus «oratore magistro utor»'. De eodem casu disserit *Priscianus* I p. 190 atque auctore *Palaemone Charisius* p. 36, 13 et *Diomedes* p. 317 et grammaticus incertus gr. l. I p. 534 K.

I 4, 27: 'Iam quosdam illa (verba) turbabunt, quae declinationibus non feruntur(?)'. Contuli supra (p. 322) locum *Diomedis* p. 346, 16, ubi de defectivis loquitur: '«Cedo» non habet nisi secundam personam praesentis temporis et est imperativus modus'. Adde verba *Probi* cathol. p. 38, 15 K: '«Cedo», quod significat da, sine verbi totius substantia solum reperitur numero singulari cedo, numero plurali cette; sic Plautus et antiqui comoediographi, sicut et «salve» salvete salvere' et *Donati* p. 383, 16 K: 'Sunt quae declinari rite non possunt, ut «cedo ave faxo sis amabo infit inquam quaeso aio»'.

I 4, 27: 'Nam et quaedam «participia» an «appellationes» sint dubitari potest, quia aliud alio loco valent, ut «lectum et sapiens»; quaedam «verba» «appellationibus» similia, ut «fraudator nutritor»'. Conferatur ad hunc universum locum, quod dicit *Diomedes* p. 322, 21: 'Sunt etiam alia (sc. «appellativa nomina») «participium» sonantia, ut «demens amens sapiens ingens»; alia «verbis» similia, ut «contemplator speculator» . .'. Praeterea de participiorum et appellationum permutatione *Charisius* dicit p. 179, 29 K: 'Videndum erit, ne «appellationes», quae in formam participiorum incidunt, «participia» putentur, ut «recens frequens hastatus togatus» .. Haec enim et similia speciem habent participiorum, sunt tamen appellationes, quia nullius in se verbi vim continent. At in femininis quaedam speciem participiorum habent, quaedam etiam ipsam vim, ut «pictura scriptura» .. Item «doctus et sapiens»; . . utrumque appellationis vim optinet et nihilo minus in participia cadunt; dicitur enim «sapiens» a verbo quod est sapit'. Cf. idem p. 180, 22. 291, 16 et *Diomedes* 398, 30. 402, 30 et *Donatus* 388, 19 K.

I 4, 28: 'Iam «itur» .. nonne propriae cuiusdam rationis est? .. cui simile «fletur»'. Compares *Charisium* p. 164, 24: 'Praeterea sunt et inpersonalia ut «sedetur itur»'.

I 4, 29: '«Pransus» quoque ac «potus» diversum valet quam indicat'. Conferantur verba *Varronis* ex libro 8 de ling. lat. prompta apud Gellium 2, 25, 7: 'Cum a ceno et prandeo et poto «cenatus sum et pransus sum et potus sum» dicamus'. Eadem participia inter verba confusa laudantur a *Charisio* p. 262, 15: '«Pransus cenatus potus iniuratus» . . quoniam sunt activa et non patiuntur, recipiuntur passivo modo (ut participia activa praeteriti temporis)'; cf. *Diomedes* p. 402, 6.

I 4, 29: 'Quid quod .. quaedam (verba) etiam mutantur, ut «fero» in praeterito?'. Conferatur *Charisius* p. 249, 13 (et *Diomedes* p. 380, 13): 'Sunt quaedam verba, quae, quoniam non habent sua perfecta

tempora, usurpant tamen eiusdem significationis verborum perfecta, velut . . «fero» tuli'.

I 4, 29: 'Quid quod . . quaedam tertiae demum personae figura dicuntur, ut «licet piget»?' Impersonalia igitur sunt verba, de quibus *Charisius* loquitur p. 253 sq et *Diomedes* p. 363 sq.

I 4, 29: 'Quid quod.. quaedam simile quiddam patiuntur vocabulis in adverbium transeuntibus, . . «dictu factuque»'. Conferatur *Charisius*, qui p. 175, 27 testatur «docendi docendo docendum doctum doctu» a quibusdam — veluti a *Plinio* (p. 187, 21) — adverbia qualitatis appellata esse.

Duobus capitibus, quibus ars grammatica a Quintiliano tractatur, quantum potui diligenter examinatis reliquam partem (I cap. 5 et 6) brevius perlustrabo. Itaque ea sola ceterorum grammaticorum verba afferam, quae ad Quintiliani doctrinam proxime accedunt.

I 5, 6 – 33 barbarismi species a Quintiliano enumerantur.

I 5, 6: 'Quis hoc nescit alios barbarismos scribendo (et loquendo) fieri, alios loquendo . . Illud prius adiectione detractione inmutatione transmutatione?'. Conferatur *Charisius* p. 265, 23: 'Barbarismus est dictio vel pronuntiatione vel scriptura aliqua sui parte vitiosa. Barbarismus fit modis ('principalibus' addit *Diomedes* p. 451, 32) quattuor, adiectione detractione inmutatione transmutatione . . Praeterea enuntiatione, cum aut producimus aut corripimus aut adspiramus aut adspirationem subtrahimus non postulante ratione'.

I 5, 7: 'Barbarum pluribus modis accipimus: unum gente, quale sit, si quis afrum vel hispanum latinae orationi nomen inserat . . Tertium est illud vitium barbarismi'. Conferatur *Charisius* p. 265, 8, cuius auctor est *Cominianus:* 'Barbarismus est barbaros lexis, id est barbara dictio. Sed hoc vitium inter se differt, quod barbarismus fit in nostra loquella, barbaros lexis in peregrina'.

I 5, 13: 'Similiter alia: nam sive est «adsentior», Sisenna dixit «adsentio» multique et hunc et analogian secuti; sive illud verum est, haec quoque pars consensu defenditur'. De eadem quaestione Gellius ait 2, 25, 9: '*M. Varro* in eodem libro (scil. de ling. lat. 8): . . «adsentior» . . fere omnes dicunt. Sisenna unus «adsentio» in senatu dicebat et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt'. Ad eundem auctorem referendum est, quod Quintilianus tradit VIII, 3, 35: '«Cervicem» videtur Hortensius primus dixisse: nam veteres pluraliter appellabant' *). Ait enim *Varro* de ling. lat. 8, 14: 'Ab eo, quod alii dicunt «cervices», Hortensius in poematis «cervix»' et 10, 78: 'Ut passa (consuetudo) Hortensium dicere pro «hae cervices» «cervix»'.

I 5, 16: 'Absurdum forsitan videatur dicere barbarismum .. fieri per numeros aut genera ..; «scala» tamen et «scopa» contraque «hordea»

*) Cf. Isidor. orig. 11, 1, 61.

et «mulsa» . . non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur: et «gladia» qui dixerunt, genere exciderunt'. Conferri potest primum *Varro* L. L. 9, 81: 'Dicitur a multis duobus modis . . «hoc gladium et hic gladius»'. Praeterea idem ait L. L. 8, 7: 'Unae dicuntur «scopae»'; 10, 24: 'non dicitur una scopa' et 9, 63: 'Alia multitudinis solum ut «scalae»'; 9, 68: 'scalae . . numerus singularis in usum non venit'. Deinde *Charisius* 93, 5: 'Alia singularitate carent ut . . «scalae scopae»'; cf. idem p. 33, 22 et *Diomedes* 328, 5 et *Donatus* 376, 28. Praeterea *Donatus* p. 393, 15: 'Multi etiam dubitaverunt, «scala quadriga scopa» soloecismus an barbarismus esset'. Tum *Diomedes* p. 328, 20: '«Hordeum» . .; quamvis . . «hordea» legimus; . . «mulsum»'; cf. idem p. 550, 28 et *Donatus* p. 376, 31.

I 5, 19: 'Illa vero (vitia) non nisi aure exiguntur, quae fiunt per sonos. Quamquam per aspirationem, sive adicitur vitiose sive detrahitur, apud nos potest quaeri an in scripto sit vitium, si h littera est, non nota'. Conferatur *Charisius* p. 265, 18, qui auctore *Cominiano* de barbarismo loquitur: 'Fit inmutatio et per sonos, cum aut acutus pro gravi aut gravis pro acuto vel alio quolibet ponitur. Sonus in pronuntiatione invenitur. Similiter adspiratio ad sonum pertinet, tametsi nos h quasi litteram ponimus' et *Donatus* p. 392, 24 K: 'Etiam per adspirationem deprehenditur barbarismus, quem quidam scripto, quidam pronuntiationi iudicant adscribendum, propter h scilicet, quam alii litteram, alii adspirationis notam putant'.

I 5, 20: 'Parcissime ea (sc. adspiratione) veteres usi etiam in vocalibus, cum «aedos ircosque» dicebant'. Cf. *Varro* de ling. lat. 5, 97: '«Ircus», quod Sabini fircus; quod illic fedus, in Latino rure edus, qui in urbe ut in multis a addito «aedus»'.

I 5, 20: 'Diu deinde servatum ne consonantibus adspirarent, ut in «Graccis» et in «triumpis»; erupit brevi tempore nimius usus, ut «choronae chenturiones praechones» adhuc quibusdam in inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est'. Cf. *Cicero* Orat. 48, 160: 'Quin ego ipse, cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut «pulcros . . triumpos» dicerem; aliquando . . usum loquendi populo concessi, . . tamen . . «sepulcra, coronas» dicimus'. Praeterea *Charisius* dicit p. 82, 7: '«Graccus» . . sine adspiratione dici debere *Varro* ait (de sermone lat. III fr. 58 B. Wilm.).' Idem tradit *Scaurus* p. 2256 et *Velius* p. 2230.

I 5, 21: 'Inde durat ad nos usque «vehementer» et «comprehendere»'; cf. IX 4, 59. De eisdem verbis *Scaurus* ait l. l.: 'Peccant qui «prehensus» cum adspiratione scribunt . . et similiter «vehemens»' et *Velius Longus* p. 2229: 'H littera se inseruit in his «vehemens reprehendit», cum elegantiores et vementer dicant et reprendit' et *Cornutus* p. 2286: '«Vehemens» et vemens apud antiquos et apud Ciceronem lego; aeque «prehendo» et prendo'.

I 5, 22: 'Adhuc difficilior observatio est per tenores . . vel ad-

centus: cum acuta et gravis alia pro alia ponuntur, ut in hoc «Cà-mìllus» si acuitur prima'. Cf. *Maximus Victorinus* p. 193, 9 K: 'Quid deinde, si paenultima positione longa fuerit? Ipsa acutum habebit accentum, praecedentem autem gravem faciet, ut Catúllus «Càmíllus» Metéllus'; *Donatus* 371, 16; *Diomedes* 431, 26; *Sergius* in Donatum 525, 4 K.

I 5, 23: 'Aut (cum) gravis pro flexa (ponitur), ut «Cethègus» et hic prima acuta, nam sic media mutatur'. Cf. *Maximus Victorinus* 193, 11: 'Quid si paenultima naturaliter producta fuerit, ita ut ultima brevis sit? Paenultimam circumflectemus ut «Cethêgus» Românus'; *Donatus* p. 371, 21; *Diomedes* 431, 25; *Sergius* 525, 6 K.

I 5, 23: 'Aut (cum) flexa pro gravi (ponitur), ut «Appîi»*) circumducta sequenti; quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant'. Cf. *Charisius* p. 78, 4: '«Lucius et Aemilius» et cetera nomina, quae ante u habent i, duplici i genetivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum; idque *Varro* (de ling. lat. XI fr. 17 W.) tradens adicit etc.'.

I 5, 24: 'Sed id saepius in Graecis nominibus accidit (sc. ut flexa pro gravi ponatur), ut «Atrêi»; quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset; item «Nerêi Terêique»'. Conferri potest, quod ait *Maximus Victorinus* (l. l.; *Sergius* l. l.; *Donatus* l. l.; *Diomedes* p. 433, 4): 'Quid Graeca nomina? si isdem litteris proferentur, graecos accentus habebunt etc.'.

I 5, 25: 'Ceterum scio iam quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quaedam vocum discrimina verbum interim acuto sono finiant, ut in illis «quae circum litora, circum piscosos scopulos»'. Cf. *Velius Longus* p. 2218: 'Transmutatus accentus partes quoque orationis immutat, ut aliud est «círcum», aliud «circúm», aliud «érgo», aliud «ergô»' et *Maximus Victorinus* p. 193, 17: 'Sola occurrit «ergo» coniunctio, in qua posterior circumflexa deprehenditur. Item adverbium «pone» posteriore acutum accipit accentum, ne sit verbum'; *Donatus* p. 371, 28; *Sergius* 525, 11; (cf. P. Langen. 'de grammaticorum Latinorum praeceptis, quae ad accentum spectant' p. 10 sq. 36 sq.; Corssen. de pronunt. II² p. 808).

I 5, 30: 'In omni voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae sive ultimae; et in iis aut proxima extremae aut ab ea tertia. Trium porro, de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit: eodem loco brevis utique gravem habebit sonum, ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet. Est autem in omni voce utique acuta, sed

*) I 5, 23. 'Appîi' scripsi; 'Appî' auctore Spaldingio Halmius. 'Sequens' vocatur syllaba secunda, quia antecedunt verba 'si acuitur prima' atque 'et hic prima acuta'.

numquam plus una nec umquam ultima, ideoque in disyllabis prior, praeterea numquam in eadem flexa et acuta. Itaque neutra cludet vocem latinam: ea vero, quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa'. Cf. *Maximus Victorinus* p. 192, 18: 'Acutus . . apud nos tantum duobus locis poni potest . . aut in paenultima syllaba aut in ea, quae a fine tertia sit. . Circumflexus, si pars orationis trium aut amplius fuerit syllabarum, non nisi paenultimum locum poterit invenire. . Monosyllaba quaecumque positione longa fuerint, acutum habebunt accentum; . . quae natura longa erunt, circumflexo accentu pronuntiabimus. . In disyllabis . . si prior natura longa fuerit et posterior correpta, prior circumflectetur; . . si posterior producta sit, prior, seu longa seu brevis fuerit, acuatur necesse est; . . si ambae breves sint, acuetur prior. . In trisyllabis (et) . . quae plures syllabas habebunt si paenultima brevis fuerit, quae eam praecedit acuetur; . . si paenultima positione longa fuerit, ipsa acutum habebit accentum, praecedentem autem gravem faciet, ut Catullus Càmíllus Metellus; . . si paenultima naturaliter producta fuerit, ita ut ultima brevis sit, paenultimam circumflectemus, ut Cethêgus Romanus; . . si longa ('natura' inserunt Diomedes p. 431, 29 et Donatus 371, 21) erit ultima, paenultimae acutum dabimus accentum'; *Sergius, Donatus*, *Diomedes* l. l.

I 5, 32: 'Et illa per sonos accidunt, quae demonstrari scripto non possunt, vitia oris et linguae: ἰωτακισμούς et μυτακισμούς et λαβδακισμούς . . Graeci vocant'. Eadem tria vitia inter barbarismos etiam a ceteris grammaticis proferuntur (supra p. 327).

I 5, 34—54 barbarismum soloecismus excipit.

I 5, 36: 'Illud eruditius quaeritur, an in singulis quoque verbis possit fieri soloecismus, út si unum quis ad se vocans dicat «venite»'. Conferatur quod *Cominiano* auctore *Charisius* profert p. 267, 20: 'Dicunt quidam soloecismum et in uno verbo fieri, ut si quis feminam ostendat et dicat «hic»'.

I 5, 38: 'Qui plenissime, quadripertitam volunt esse rationem nec aliam, quam barbarismi'. Cf. *Charisius* 267, 24: 'Soloecismus quoque fit modis quattuor, adiectione detractione inmutatione transmutatione'.

I 5, 41: '(Soloecismum) per omnes orationis partes deprendimus, frequentissime in verbo, quia plurima huic accidunt' et 48: 'Fiunt soloecismi et quidem plurimi per partes orationis'. Eadem divisio *Cominiano* adscribitur a *Charisio* p. 266, 16: 'Fit (soloecismus) aut per partes orationis aut per accidentia partibus orationis'.

I 5, 58—64 sequitur Graecorum nominum declinatio.

I 5, 60: 'Inde «Castorem» media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem, quas «Castor», litteras exit'. De eadem re ait *Varro* ling. lat. 8, 72: 'Item secundum illorum rationem debemus secundis syllabis longis dicere «Hectorem Nestorem»' et

*Charisius* p. 131, 28 auctore *Iulio Romano:* 'Hector et Mentor' genetivo singulari sonare debent ut «Nestor» et similia Graeca dumtaxat nec ut rector rectoris, sed ut rhetor rhetoris'.

I 5, 60: 'Et ut «Palaemo ac Telamo et Plato» . . dicerentur retinuerunt, quia latinum, quod o et n litteris finiretur, non reperiebant'. Cf. *Charisius* p. 65, 1, qui *Iulium Romanum* sequitur (cf. A. Schottmueller. 'de Plini Secundi libris grammaticis' Bonnae 1858 p. 21): 'Graeca quae in on exeunt, . . amissa n littera Latina redduntur . . ut «Antipho Demipho»'.

I 5, 61: 'Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur: . . ne miremur quod ab antiquorum plerisque «Aenea» et*) «Anchisa» sit dictus; nam si ut «Maecenas Sufenas Aspraenas» dicerentur, genetivo casu non e littera, sed tis syllaba terminarentur'. Comparetur, quod *Palaemone* auctore tradit *Charisius* p. 67, 12 (20, 10): 'Masculina modo es modo a nominativo casu veteres terminaverunt, velut «Anchises Anchisa»' et *Romano* auctore (Schottmueller l. l.) p. 66, 11: 'As terminata nomina casu nominativo in genitivo crescente is syllaba finiuntur, ut «Maecenas Maecenatis, Asprenas Asprenatis» . . . Sed si sint peregrina, genetivo casu in ae deficient ut «Aeneas Aeneae» . . quamvis veteres «hic Aenea» dixerint sine s . . Omnia nomina quae as terminantur syllaba, si quidem Latina sunt masculina, tertii ordinis erunt velut «hic Suffenas Suffenatis, hic Maecenas Maecenatis»'.

I 5, 62: 'Inde «olympo» et «tyranno» acutam syllabam mediam dederunt'. Conferatur *Servius* ad Aen. 4, 268: 'Accentus Graecus tunc potest esse, si sit Graeca declinatio, ut «ὄλυμπος ὀλύμπου»' et *Martianus Capella* 3 § 272 p. 287 K: 'Graeca nomina cum in Latinum vertuntur, nostra regula pronuntiantur nisi maneant Graeca; «Olympus» igitur et «Caucasus» sicut Latina proferuntur. Sed si manent Graeca . . necesse est tamen in obliquis casibus acutos sonos in mediis syllabis servent, quoniam apud Graecos quoque non alio accentu haec enuntiari audimus' et *Sergius* de accentibus 527, 21 K: '«Euandrum tyrannum» . . paenultima acuta, quia positione longa est, proferimus, Latinum secuti praeceptum. . In isdem nominibus tertiam ab ultima acuere absurdum non est et ita enuntiare «Euandrum tyrannum», ut Graeci «Εὔανδρον τύραννον» dicunt . . In quibusdam nominibus licet videre plerosque recti casus ambiguo tenore deceptos mendose obliquos proferre, ut qui in patrico casu «Euandri et tyranni» primam syllabam acuunt potius quam mediam, nullam secuti rationem'.

I 5, 63: 'Sic genetivus «Ulixi» et «Achilli» fecit'. Conferatur quod *Palaemone* auctore *Charisius* dicit 23, 3: 'Ea nomina secundo ordini attribuuntur, quae apud Graecos genetivo casu πλεονοσύλ-

*) I 5, 61. 'et' b; 'ut' ABn. Verbi singularis numerus exstat etiam locis similibus I, 5, 15 et 7, 24 (I 5, 42. 6, 22 sq).

λαβα sunt, velut 'Αχιλλεύς 'Αχιλλέως, 'Οδυσσεύς 'Οδυσσέως, velut Achilles «Achilli», Ulixes «Ulixi». Sed quidam dicunt hic Achilleus huius Achillei, hic Ulixeus huius Ulixei. Alii vero tertii ordinis dicunt esse, velut hic Achilles huius Achillis, hic Ulixes huius Ulixis'. Similia auctoribus *Romano* et *Plinio* tradit 68, 19 (132, 17).

I 5, 63: 'Neque enim iam «Calypsonem» dixerim ut «Iunonem», quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi'. Eandem rationem defendit *Charisius* p. 63, 18 auctore *Romano:* 'Quidam Graece declinare maluerunt «huius Didus Sapphus Inus». Sed melius esset secundum Latinam consuetudinem «huius Sapphonis Didonis» dicere'.

I 5, 65—70 de verbis compositis Quintilianus loquitur.

I 5, 66: 'Quamvis . . inveniantur, qui «Lupercalia» tres partes orationis esse contendant quasi «luere per caprum»: nam «Solitaurilia» iam persuasum est esse «Suovetaurilia»'. Conferatur *Servius* ad Aeneid. 8, 343: '«Lupercal». Sub monte Palatino est quaedam spelunca, in qua «de capro luebatur» i. e. sacrificabatur'; et *Charisius* p. 108, 27, qui *Iulio Romano* auctore ait: '«Suovetaurilia» quidam putant dicenda a victimis «sue ove tauro»'.

I 5, 69: 'Frequenter autem praepositiones quoque compositio ista corrumpit: inde «abstulit aufugit amisit» . . sic «ignavi» et «erepublica» et similia'. Quintiliani fons fuit, qui § 66 laudatur, *Ciceronis* Orator 47, 158: '«Amovit» dicimus . . et «abstulit». . Quid si . . «aufugit» maluerunt . . Dulcius visum est . . «ignavi» dicere . . et «erepublica»'.

I 5, 72 de onomatopoeia noster ait: 'Quis ferat si quid simile illis merito laudatis «λίγξε βιός» et «cῖζεν ὀφθαλμός» fingere audeamus? Nam ne «balare» quidem aut «hinnire» fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur'. Eaedem voces Homericae ὀνοματοποιίᾳ tribuuntur in *Etym. Magn.* p. 712, 30 (s. v. cίζω); «hinnitus» et «balatus» etiam a *Varrone* (L. L. 3 fr. 2 W.) et a *Charisio* p. 274, 25.

I 6, 1 haec dispositio exstat: 'Sermo constat ratione vetustate auctoritate consuetudine. Rationem praestat praecipue analogia, nonnumquam et etymologia'. Similis divisio affertur a *Diomede* p. 439, 15 (et a *Charisio* p. 50): 'Latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam. Constat autem, ut adserit *Varro* (de sermone Latino I fr. 41 W), his quattuor: natura analogia consuetudine auctoritate'. Praeterea conferatur *Servius* ad Aeneid. 8, 423: 'Hoc pro huc . . crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat *Verrius Flaccus* exemplis auctoritate ratione' et *Scaurus* p. 2251: 'Recorrigitur vero (scribendi ratio) regulis tribus: historia, originatione, quam Graeci etymologian appellant, proportione, quae Graece analogia dicitur'; (cf. Schadius p. 48. 29 sq).

I 6, 3—27 analogia tractatur, quae et in comparatione constare dicitur et in deminutione.

I 6, 6: 'Deminutio genus modo detegit'. Conferatur *Pompeius* p. 164, 13 K: 'Ait *Plinius Secundus* secutus *Varronem* (de ling. lat. 11 fr. 10 W.): quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem et ex diminutivo cognoscimus principale genus'.

I 6, 5: 'Comparatio in nominibus .. deprendit.. declinationem, ut si veniat in dubium «hac domu» dicendum sit an «hac domo» et «domuum» an «domorum», similia sint [domus]*) «anus manus»'. Conferatur *Charisius* p. 45, 25: 'Us terminata si . . ablativo singulari u ultimam habuerint, genetivo plurali geminatum u ante m habeant necesse est, ut «anus» ab «anu» «anuum», «manus» a «manu» «manuum» et cetera; ac per hoc «domus» a «domu» «domuum», non ut quidam putant «domorum»' et *Donatus* p. 378, 33: 'Invenimus ab «hac domo» «domorum» . . Sed scire debemus multa quidem veteres aliter declinasse, ut ab «hac domu» «harum domuum»'.

I 6, 11: 'Cum legeremus in XII tabulis «ni ita pagunt», inveniebamus simile huic «cadunt»; inde prima positio . . apparebat «pago» ut «cado»; unde . . «pepigi» ut «cecidi»'. Cf. *Scaurus* p. 2253 P: 'In XII tabulis est «ni pacunt»**) per hanc formam, quod male quidam per c enuntiant, est enim . . «pepigi» a «pango» ut «tango» «tetigi»'***) et *Festus* p. 250, 23 M: 'Pacionem antiqui dicebant . . unde et «pacisci» adhuc et «paco» in usu remanet' et *Priscianus* I 523, 24 H: 'Antiqui «pago» quoque dicebant pro «paciscor»'.

I 6, 12: 'Deprensum est «lepus et lupus» similia positione quantum casibus numerisque dissentiant'. Cf. *Varro* de ling. lat. 8, 34: 'A similibus dissimilia, ut ab «lupus lepus, lupo lepori»' et *Charisius,* qui *Romano* auctore ait p. 135, 10: '«Lepus leporis, lupus lupi», quia us finita nomina masculina et feminina per i vel per us faciunt genetivum, neutra per is; excipiuntur . . lepus vetus'.

I 6, 12: 'Lupus masculinum (est), quamquam Varro . . «lupum» feminam dicit'. Cf. *Festus* Pauli p. 6 (et p. 60): '«Lupus» apud maiores communis erat generis'.

I 6, 13: 'Interrogantur cur «aper apri» et «pater patris» faciat? . . quoniam utrumque a Graeco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut «πατρός» patris, «κάπρου» apri faciat'. Cf. *Charisius* auctore *Romano* (p. 140, 17) p. 83, 8: '«Pater patris» cum faciat et «mater matris», cur dissimiliter «aper apri» et «caper capri», solet quaeri. Sed Graeca declinatio advertenda est, ubi deprehendetur'.

I 6, 14: 'Illa tamen quomodo effugient, ut quamvis feminina

---

*) I 6, 5. 'domus' auctore Meyero del. Halmius; 'domui' I. Staenderus 'Quaestiones Quintilianeae' Bonnae 1865, sent. contr. 2.

**) 'pagunt' P.; cf. Schneider. gr. I p. 271.

***) 'pepigi a pago, ut a tago tetigi'?

singulari nominativo us litteris finita numquam genetivo casu ris syllaba terminentur, faciat tamen «Venus» «Veneris»: item cum es litteris finita per varios exeant genetivos, numquam tamen eadem ris syllaba terminatos, «Ceres» cogat dici «Cereris»?' Cf. *Charisius* p. 74, 9: 'Omnia nomina, quae us nominativo proferuntur, quae quidem masculina aut feminina sunt, genetivum faciunt aut per i aut per us . . Excipiuntur in femininis haec . . «tellus telluris, Venus Veneris»' et 68, 32: 'Genetivo crescunt «locuples . . . Ceres Cereris»'.

I 6, 15: 'Quid vero quod tota positionis eiusdem in diversos flexus eunt? cum «Alba» faciat «Albanos» et «Albenses», «volo» «volui» et «volavi»'. Cf. *Varro* L. L. 8, 35: 'Cum duae sint Albae, ab una dicuntur «Albani», ab altera «Albenses»' et 9, 103: 'A «volo» intellegimus et «volare» et «velle»' et *Charisius* p. 106, 1 auctore *Romano:* '«Albani» dicuntur ab Alba, «Albenses» autem ab Alba Fucente' et p. 256, 16: '«Volo» «vis volas, velle volare»' et *Pompeius* p. 144, 19 K: 'Ait sic *Caesar* in libris analogiae: «duae sunt Albae . . volentes Romani discretionem facere istos Albanos dixerunt, illos Albenses»; . . *Plinius Secundus* negat et ait sic: «indifferenter haec inveniuntur»'.

I 6, 15: 'Nam praeterito quidem tempore varie formari verba prima positione o littera terminata ipsa analogia confitetur, siquidem facit «cado cecidi, spondeo spopondi, pingo pinxi . .»'. Cf. *Gellius* 2, 25, 6: '*M. Varronis* liber de lingua latina octavus nullam esse observationem similium docet . . «Sicuti cum dicimus» inquit «. . paro paravi et lavo lavi, pungo pupugi, tundo tutudi et pingo pinxi»'.

I 6, 17: 'Inhaerent tamen ei (sc. analogiae) quidam molestissima diligentiae perversitate, ut «audaciter» potius dicant quam «audacter», licet omnes oratores aliud sequantur'. Cf. *Charisius* p. 185, 24: 'Audax «audaciter» . . sed meminerimus eruditorum consuetudine «audacter» sine i littera elatum'.

I 6, 17: 'His permittamus .. et «tribunale» et «faciliter» dicere'. Cf. *Charisius* p. 116, 8: 'Faciliter et facile . . quamquam . . «faciliter» . . debebat esse' et 114, 17: 'dicimus non «faciliter» . . tametsi veteres dixerunt' et p. 38, 15 auctore *Romano:* 'Nomina neutralia, quae per l terminantur, etiam per e litteram terminari invenimus ut «tribunale animale»' et p. 119, 4: '*Plinius Secundus* «animal», non «animale» ait dici debere'.

I 6, 17: 'His permittamus et «audivisse» et «scivisse» . . dicere'. Additur § 21 «conservavisse». At IX 4, 59 'ubi aliud ratio' Quintilianus inquit 'aliud consuetudo poscet, utrum volet sumat compositio «vitavisse» vel «vitasse»'*). Cf. *Cicero* Orat. 47, 157: 'Quid

*) I 6, 19. Similis condicio valet in illis 'calidus' et 'caldus'. Nam et 'calidus' atque 'caldus', et 'calida' atque 'calda' (Halm. II p. 367) promiscue inveniuntur. Nimirum breviata forma in sermone cotidiano sollemnis fuit, plenum verbum ab eruditorum lingua non alienum.

quod sic loqui «nosse iudicasse» vetant, «novisse» iubent et «iudicavisse»? quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate'.

I 6, 21: 'His adiciat (sc. ille litteratus) «face» et «dice» et similia'. Cf. *Charisius* p. 256, 24 et *Diomedes* p. 349, 29: 'Apud veteres salva est regula; . . dixerunt «face dice duce»'.

I 6, 25: 'Quaedam a primis statim positionibus tota mutantur ut «Iuppiter»'. Cf. *Varro* L. L. 8, 49: 'Alia casus habent . . rectos modo ut «Iuppiter»' et *Charisius* p. 154, 18 (et *Diomedes* p. 309, 15): 'Quaedam duobus . . casibus tantum flectuntur, ut «Iuppiter» nominativo et vocativo casu'.

I 6, 26: 'Quid . . genetivo . . plurali «spes» faciet?' Cf. *Probus* p. 88, 11: '«spes» a genetivo casu numeri pluralis abstinetur'.

I 6, 27: 'Quid de aliis dicam, cum senatus «senatus senatui» an «senati senatu» faciat incertum sit?' Cf. *Gellius* 4, 16: 'M. Varronem et P. Nigidium . . comperimus non aliter elocutos esse et scripsisse quam «senatuis» et . . «huic senatui» . . Terentii (sc. Haut. 2, 3, 46) quoque comici versus in libris veteribus itidem scriptus est «eius anuis causa . .». Hanc auctoritatem quidam e veteribus *grammaticis* ratione etiam firmare voluerunt . . 'cum igitur' inquiunt 'in casu dandi «huic senatui» dicamus, genetivus ex eo singularis «senatuis» est, non «senatus»'. Sed non omnes concedunt in casu dativo «senatui» magis dicendum quam «senatu» . . C. etiam *Caesar* . . in libris analogicis omnia istiusmodi sine i littera dicenda censet' et *Charisius* p. 55, 1 *Iulio Romano* auctore: 'Nam et Terentius (l. l.) «huius anuis» dixit et Sallustius «huius senati», cum ratio exigat «huius anus» «huius senatus» dicere'.

I 6, 28—38 analogiam etymologia excipit*).

I 6, 32: 'Sit enim «consul» a «consulendo» vel a «iudicando»: nam et hoc «consulere» veteres vocaverunt, unde adhuc remanet illud «rogat boni consulas» id est «bonum iudices»'. Cf. *Festus* Pauli p. 41: '«Consulas» antiqui ponebant non tantum pro «consilium petas et perconteris», sed etiam pro «iudices et statuas»'.

I 6, 33: 'Sit et «lepus levipes» et «vulpes volipes»'. Cf. *Gellius* 1, 18: 'In XIV rerum divinarum libro *M. Varro* (ait): . . non «leporem» dicimus, ut ait *(L. Aelius),* quod est «levipes», sed quod est vocabulum antiquum Graecum' et *Varro* L. L. 5, 101: '«Lepus» quod Siculi quidam Graeci dicunt λέπορις; . . «volpes», ut *Aelius* dicebat, quod «volat pedibus»'.

I 6, 34: 'Etiamne a contrariis aliqua sinemus trahi, ut «lucus» quia umbra opacus parum luceat? etiamne . . «verba» ab aere

---

*) I 6, 31. 'praecipueque aeolica ratione . . declinata' ABn; 'ab aeolica oratione' Keilius (Halm. II p. 367). Praepositio quidem iure desideratur (cf. 1, 5, 22. 6, 13. 28. 8, 6, 32. — 'modo' 8, 6, 32; 9, 4, 42); contra vox 'ratio' immerito mutatur (cf. 1, 1, 13. 8, 3, 59. 1, 5, 29. 10, 1, 100. 1, 5, 35. 59. 63. 8, 5, 33. 10, 1, 107).

verberato?' Eadem etyma inveniuntur cum apud alios, tum apud *Varronem* (de ling. Lat. 3 et 1 fr. 2 et 1 W).

Iam ad finem pervenimus. Satis autem demonstrasse mihi videor, quanta familiaritas in hac quoque parte inter institutionem Quintilianeam et ceterorum grammaticorum doctrinam intercedat. Qua de re condicionem eandem, quam in capitibus libri primi quarto et septimo statuimus (p. 376), etiam in capitibus quinto et sexto ualere censeo. Nam vel ideo, quod singulae artis grammaticae partes apud Quintilianum artissimo nexu cohaerent (p. 360), illa sententia probabilis non est, qua in rebus orthographicis alius, alius in ceteris partibus Quintiliani fons fuit (p. 362). Immo unum grammaticum Quintilianus per universam viam ducem secutus esse videtur. Cuius auctoris aetatem certis finibus supra conclusimus; Claudi enim imperatoris institutum grammaticum memoriae tradidit (p. 376).

Neque tantum aetatem finiri, sed etiam nomen erui posse credam. Nam si grammaticos, qui a Quintiliano laudantur, perlustramus, nullus alius, qui in arte grammatica Claudiano digammo locum concessisse possit, reperietur nisi *Q. Remmius Palaemon* (Teuffel. litt. Rom. hist. 266, 3). Hunc Tiberio et Claudio imperantibus Romae docuisse ac principem locum inter grammaticos tenuisse Suetonius testatur de gramm. 23; eundem Nerone imperatore circiter anno sexagesimo quarto p. Ch. n. Senecae philosopho vineas vendidisse Plinius narrat n. h. 14, 4, 51; mortuus fuit anno p. Ch. n. septuagesimo septimo (Plin. l. l. 50). Atque ut hunc ipsum grammaticum principem Quintiliani auctorem habeamus etiam alia ratione adducimur. Etenim quasi in summo artis grammaticae fastigio steterit Palaemon una cum Aristarcho 1, 4, 20 a Quintiliano laudatur: 'Alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes (orationis) secuti sunt, ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon'. Neque ceteri scriptores in Palaemonis laude Quintiliano cedunt. Nam 'arte grammatica celeber' a Plinio n. h. 14, 4, 49, et 'doctus Palaemon' a Iuvenali 7, 215 vocatur, atque Suetonius l. l. ait: 'Docuit Romae ac principem locum inter grammaticos tenuit . . Arrogantia fuit tanta, ut M. Varronem porcum appellaret; secum et natas et morituras litteras iactaret; nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed praesagante Vergilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palaemonem iudicem. Gloriabatur etiam latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse.' Itaque per se admodum probabile est Quintilianum in arte grammatica adumbranda eius imprimis viri auctoritate niti, qui ipsius aetate summa scientiae grammaticae laude floruerit. Accedit argumentum tertium. Etenim 'Quintiliani oratoris magistrum Palaemonem grammaticum' fuisse scholiasta ad Iuvenal. 6, 452 tradit. Atque iam animadvertas velim, quod digammi illius Claudiani usus 1, 7, 26 una laudatur cum

praeceptorum consuetudine uo litteras in eiusmodi verbis adhibendi. Quae cum ita sint, summa probabilitate conicere mihi videor eas copias, quas ex grammaticorum provincia translatas Quintilianus memoriae tradiderit, maximam partem ex Palaemonis arte grammatica haustas esse. Ars enim Palaemonis commemoratur a Iuvenali 6, 452: 'Odi hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem'. Eiusdem operis aut pauca aut nulla frustula servata sunt in illa arte, quam Palaemonis nomine inscriptam inter alios infimae aetatis grammaticos Charisius in suum usum convertit (cf. A. Schottmueller. 'de C. Plinii Secundi libris grammaticis' p. 26 sq; Christius in Philologo 18 p. 125 sq; Keilius gramm. lat. 5 p. 334 adnot.). Contra certum veteris Palaemonis fragmentum servavit Priscianus (supra p. 366): quo cognoscimus de littera h Palaemonem esse locutum (cf. Quint. I 4, 9 supra p. 365). Deinde Quintilianus I 4, 20 (p. 377) testatur octo partes orationis a Palaemone esse statutas. Tum ait I 6, 35: 'Pergamus: sic perveniemus eo usque, ut «stella» luminis stilla credatur, cuius etymologiae auctorem clarum sane in litteris nominari in ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum est': his verbis significari Palaemonem Burmannus coniecit. Praeterea haec leguntur I 5, 60: 'Et ut «Palaemo ac Telamo et Plato» dicerentur retinuerunt': Palaemonis igitur nomen inter exempla a Quintiliano laudatur. Deinde in orthographiae parte I 7, 26 (cf. I 4, 8. 11. XII 10, 29 supra p. 364) praeceptorum usus, quo uo litteras pro u gemina adhibuerint, commemoratur. Adde quod noster ait VIII, 3, 34: '«Piraticam» quoque ut «musicam et fabricam» dici adhuc vetabant mei praeceptores'. Itaque certa doctrinae Palaemoniae vestigia in opere Quintilianeo exstant, quibus sententia supra prolata firmatur.

Secundum locum *M. Tullius Cicero* obtinet. Cuius viri exemplo Quintilianus universum grammaticae doctrinae studium oratoribus commendat I 7, 34: 'An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit et in filio, ut epistulis apparet, recte loquendi asper quoque exactor?' Deinde summa ubique pietate ea respicit, quae in Oratore cap. 45 sq de rebus grammaticis prolata sunt. Primum enim et Quintilianus (supra p. 359) et Cicero consuetudinem optimam esse loquendi magistram existimant; conferantur verba 48, 160: 'Usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi'. Deinde a Quintiliano I 4, 15 inter litterarum mutationes formae «Burrus Bruges duellum Belius» laudantur, quas Cicero 48, 160 et 45, 153 commemorat (supra p. 369). Tum in adspirationis historia, quae I 5, 20 adumbratur, Ciceronis verba 48, 160 Quintilianus respicit (supra p. 380). Praeterea de verborum genere, quod numero duali quidam adscripserint, I 5, 44 ait: 'Sed quem potius ego quam M. Tullium sequar? qui in Oratore (47, 157) «non reprendo» inquit «scripsere: scripserunt esse verius sentio»'. Deinde in ver-

borum compositione Cicero laudatur I 5, 66: 'Quamvis «capsis» Cicero (45, 154) dicat compositum esse ex «cape si vis»'; eodem auctore (47, 158) composita proferuntur § 69 «abstulit aufugit ignavi erepublica» (supra p. 384). Tum in analogiae parte Ciceronis auctoritatem Quintilianus sequitur I 6, 18: 'Idem (sc. analogiae amatores) «centum milia nummum» et «fidem deum» ostendant duplices quoque soloecismos esse, quando et casum mutant et numerum (Cic. 46, 155. 156): nesciebamus enim ac non consuetudini et decori serviebamus, sicut in plurimis, quae M. Tullius in Oratore divine ut omnia exequitur'. Deinde quod de formarum usu «vitasse» et «vitavisse» noster praecipit IX 4, 59 (I 6, 17; 21), simile est doctrinae Ciceronianae 47, 157 (supra p. 386). Adde locum Quintilianeum IX 4, 39: 'Et Cicero in Oratore (48, 161) plures antiquorum tradit sic locutos (sc. s ultima detracta)'. Praeter Oratorem Ciceronis Topica (8, 35) laudantur I 6, 28: 'Etymologia . . a Cicerone dicta est «notatio», quia nomen eius (sc. verbi) apud Aristotelen invenitur σύμβολον, quod est nota: nam verbum ex verbo ductum, id est «veriloquium», ipse Cicero qui finxit reformidat'. Deinde noster ait V 10, 55: 'Finimus ἐτυμολογίᾳ ut «assiduum» ab aere dando et «locupletem» a locorum, «pecuniosum» a pecorum copia'; conferatur Cicero de Re publ. II 22, 40: 'Qui (Servius) cum . . «assiduos» appellasset ab aere dando' (Topic. 2, 10) et ibid. 9, 16: 'Quod tum erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo «pecuniosi» et «locupletes» vocabantur'. Tum verba Ciceroniana Quintiliano in mente fuisse videntur VIII 3, 26: '«Reor» tolerabile, .. «prolem» dicere (et).. «prosapiam» insulsum. . Quaedam tamen . . necessario interim sumuntur, ut «nuncupare et fari»'; ait enim Cicero de Orat. III 38, 153: 'Neque enim illud fugerim dicere . . nec «prolem» . . aut «fari» aut «nuncupare» aut . . «rebar»' (Tim. 11: 'Iovem atque Iunonem . . et eorum, ut utamur vetere verbo, «prosapiam»'). Denique de verbis novis Quintilianus dicit I 5, 72 (VIII 3, 32): 'Audendum tamen: namque, ut Cicero ait (de Nat. deor. I 34, 95), etiam quae primo dura visa sunt, usu molliuntur'.

Una cum Cicerone I 7, 35 laudatur *M. Valerius Messala**) (cf. L. Wiesius 'de M. Valerii Messalae Corvini vita et studiis doctrinae' Berolini 1829): 'Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non verbis modo singulis, sed etiam litteris dedit?' Discernuntur igitur quasi duo scriptorum genera. Ad alterum refero, quod ait noster I 5, 15: '«Duapondo et trepondo» usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est et recte dici Messala confirmat'. Alterius ordinis est Messalae liber de s littera compositus,

---

*) I 5, 61. Messalae verba 'Bene fecit Euthia (i. e. Phrynes accusator)' referenda sunt ad interpretationem Latinam, qua Hyperidis pro Phryne orationem Messala vertit (10, 5, 2); cf. Meyer. orat. Roman. fr.$^2$ p. 513.

qui laudatur I 7, 23: 'Non Cato Censorius «dicam et faciam» «dice et facie» scripsit eundemque in ceteris, quae similiter cadunt, modum tenuit? quod et ex veteribus eius libris manifestum est et a Messala in libro de s littera positum' et IX 4, 38 (cf. Mus. Rhen. 25 p. 427 sq): 'Quae fuit causa et Servio . . subtrahendae s litterae, quotiens ultima esset aliaque consonante susciperetur, quod . . Messala defendit . . Inde . . illa Censori Catonis «dice facieque» a littera in e mollita, quae in veteribus libris reperta mutare inperiti solent'. Eidem operi Spaldingius locum Quintilianeum 1, 5, 15 tribuit: quae sententia partitione supra allata refellitur. Contra iure illi adscribitur locus Martiani Capellae 3 § 244 p. 271 Kopp.: 'S nonnulli litteram non putaverunt. Nam Messala quendam sibilum dixit'. Addi velim verba Probi de nomine p. 211, 27 K: '«Pater familias» an «pater familiae»? «pater familias» ab antiquis dicebatur, (non pater familiae: quos) secutus est et Messala. Sed Sisenna scriptor historiarum primus mutasse dicitur «pater familiae» dicendo'.

Tertius I 7, 34 commemoratur *C. Iulius Caesar* (cf. F. Schlittius 'de C. Iulio Caesare grammatico' Halae 1865): 'Aut vim C. Caesaris fregerunt editi de analogia libri?' Deinde Quintilianus dicit I 5, 63: 'Neque enim iam «Calypsonem» dixerim ut «Iunonem», quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi'. Eandem rationem auctore Iulio Romano Charisius probat (supra p. 384). Quam doctrinam num ipse Quintilianus e Caesaris libro hauserit atque etiam plures res, quae ad analogiam spectent, a Caesare mutuatus sit, hodie diiudicari non potest.

Eiusdem analogiae sectator fuit *M. Antonius Gnipho* Caesaris magister, qui duo volumina de Latino sermone reliquit (Sueton. gr. 7). Semel a Quintiliano commemoratur I 6, 23: 'Sicut Antonius Gnipho, qui «robur» quidem et «ebur» atque etiam «marmur» fatetur esse, verum fieri vult ex his «ebura robura*) marmura»'.

Tertius analogiae amator fuit *Antonius Rufus;* ait enim Velius Longus p. 2237 P: '«Locutionem» quoque Antonius Rufus per q dicit esse scribendam, quod sit ab eo quod est loqui'; cf. Marius Victorinus p. 13, 20 K, Usenerus Mus. Rhen. 24 p. 113. Quintilianus illum memorat I 5, 43: 'Quamquam fuerunt, qui nobis quoque adicerent dualem . . Apud nostrorum vero neminem haec observatio reperiatur; . . «dixere» quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis praeco pronuntiet'.

Iam laudandi erunt etymologi, qui I 6, 36 sq producuntur. Primi sunt *Gavius Bassus* et *Iulius Modestus.* Quorum Modestus libertus Hygini (Sueton. gr. 20), Bassus ante annum 43

*) I 6, 23. Praeferat fortasse aliquis vulgatum verborum ordinem 'robura ebura'. Vera tamen est librorum scriptura; nam § 22 et 23 verba 'ebur et robur' atque 'robur et ebur' alterna se excipiunt.

a. Ch. n. Argis fuit (Gellius 3, 9, 8; I. Kretzschmerus 'de auctoribus Gelli grammaticis' p. 99). Quintilianus igitur ait: 'Qui vero talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt ingenioseque visus est Gavius «caelibes» dicere veluti caelites, quod onere gravissimo vacent*) idque Graeco argumento iuvit: ἠιθέους enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione: nam quia Caelo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant, ait.' Quae etyma prolata fuisse videntur in Gavii 'libro de origine uerborum et vocabulorum' (Gellius 3, 19, 1) et in Modesti 'libris quaestionum confusarum'. Nam haec opera una laudantur etiam a Gellio 3, 9, 1: 'Gavius Bassus in commentariis suis (de quo titulo conferatur Kretzschmer. l. l.), item Iulius Modestus in secundo quaestionum confusarum'. His locis Gellii et Quintiliani collatis facile conicias alterutrius etymologi librum solum et a Quintiliano et a Gellio esse adhibitum. Quem librum Gavii fuisse eo colligi potest, quod hoc alibi Gellius usus est.

Sequitur *L. Aelius Stilo* (cf. I. A. C. Heusdii 'disquisitio de L. Aelio Stilone' Traiect. ad Rhen. 1839), qui appellari censeat (I 6, 36) '«pituitam», quia petat vitam'. Eiusdem de sermone Plautino iudicium Varronis verbis affertur 10, 1, 99. Multa magistri etyma Varro memoriae tradidit, inter quae sunt «lepus levipes» et «vulpes volipes» (p. 387). Praeterea Stilonis etymon '«assiduus» ab aere dando' a Cicerone Topic. 2, 10 servatum est (p. 390).

Postremus, sed dignitate primus est *M. Terentius Varro.* Cuius eruditio laudibus effertur 10, 1, 95 (p. 358) et 12, 11, 24. Illius opus 'de lingua latina' inscriptum commemoratur l. l. I 6, 37: 'Sed cui non post Varronem sit venia? qui «agrum», quia in eo agatur aliquid, et «gragulos», quia gregatim volent, dictos Ciceroni persuadere voluit (ad eum enim scribit); cum alterum ex graeco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium. Sed huic tanti fuit vertere, ut «merula», quia sola volat, quasi mera volans nominaretur'. Quae etyma exstant in quinto operis Varroniani libro; dicit enim 5, 76: '«Merula» quod mera, id est sola, volitat; contra ab eo «graguli», quod gregatim: ut quidam Graeci «greges» γέργερα' et 34: '«Ager» dictus, in quam terram quid agebant et unde quid agebant fructus causa: alii quod id Graeci dicunt ἀγρόν'. Eandem merulae etymologiam Festus Pauli tradit p. 124 M: 'Merum antiqui dicebant solum; unde et avis «merula» nomen accepit, quod solivaga est'; praeterea eadem ratione, atque Quintilianus, gragulos e sono appellatos esse idem existimat p. 97 M: '«Graguli» a sono oris vocati, sive a gerendo dicti, quod iacta segetum semina plurimum gerant. «Greges» ex Graeco dicti, quos illi γέργερα solent appellare'. Ab ipso autem Quintiliano opus Varronianum aditum esse ideo negare possis, quod, cum dicat agrum ex graeco ductum esse, Varronem

*) Conferatur Festus Pauli p. 44: '«Caelibem» dictum existimant, quod dignam caelo vitam agat'.

propriis armis impugnet. Ac nescio an hoc agumento commotus Wilmannsius dicat 'de Varronis libris gram.' p. 46: '(Libros de lingua latina tractavit) postea Remmius Palaemon, cui Quintilianum discipulum Varronis impugnationes debere existimo'. At quia plerosque scriptorum locos felici memoria confisus Quintilianus laudat, ex illa re nihil certi effici potest. Ex eodem libro quinto (5, 97) petita esse possunt vetera illa «aedus ircusque» I 5, 20 (p. 380*); deinde (5, 48) verbi «Suburae» nota I 7, 29 (p. 375). Praeterea ex libro octavo hausta esse possunt, quae de Sisenna et Hortensio Quintilianus narrat I 5, 13 et VIII 3, 35 (p. 379). Aliis locis Varronianum opus inspectum non videtur; quamquam similia atque Varro Quintilianus tradit I 4, 13 (L. L. 6, 2); 29 (L. L. 8); 5, 16 (8, 7; 10, 24. 9, 63; 68. 81); 23 (11); 60 (8, 72); 72 (3); 6, 6 (11); 12 (8, 34); 15 (8, 35. 9, 103. 8); 25 (8, 49); 33 (5, 101); 34 (1. 3). Praeter libros de lingua latina alterum scriptum Varronianum neque laudatur neque ab ipso Quintiliano adhibitum esse videtur.

Iam duo sequuntur grammatici, qui semel uterque laudantur.

Alter est *L. Cincius* (cf. Teuffel. hist. litt. Rom. § 106, 4; Peter. historic. Roman. rell. I p. 105 sq), qui saepe a Verrio Flacco commemoratur. Ait enim Quintilianus VIII, 3, 35 (supra p. 334): 'Putat . . Cincius a Sisenna (primo dictum esse) «albenti caelo»'.

Alter est *Santra* (Teuffel. l. l. § 244), cuius sententia de generis dicendi Asiani origine XII 10, 16 profertur.

Nunc de Graecis grammaticis pauca addam. Qui laude quidem sua non carent, sed propter universum grammaticae partis consilium (p. 359) raro consuluntur.

Ex *Aristotelis* doctrina grammatica I 4, 18 et 6, 28 frustula proferuntur; auctores autem Quintiliani sunt Dionysius et Cicero (p. 376. 390).

Priore loco (I 4, 18 sq.) et *Theodectis* et *Stoicorum* inventa grammatica eodem Dionysio auctore adiunguntur (p. 376).

Deinde una cum Palaemone I 4, 20 *Aristarchus* laudatur (p. 377. 388); atque Aristarchi et *Aristophanis* poetarum censura X 1, 54. 59. I 1, 15 (p. 341. 347.)

Denique XI 2, 14 *Apollodorus* et *Eratosthenes* et *Euphorion* et *Callimachus* et alii grammatici Alexandrini de carmine quodam Simonideo dissensisse narrantur.

Restant aliquot scriptores, qui in singulis rebus Quintiliani auctores fuerunt.

Primus memoria dignus est *Dionysius Halicarnasseus* (supra p. 339 sq. 357). Nam quod de orationis partibus a veteribus statutis ille docuerat de compos. verbor. cap. 2, Quintilianus I 4, 18. 19. in suum usum convertit (supra p. 376).

---

*) I 5, 20. Roscheri scriptura, in Curtii stud. grammat. II p. 147 proposita, 'foedos fircosque' ipso verborum nexu refellitur.

Deinde *Catulli* epigramma (81), quo nimio adspirationis usui illudat, I 5, 20 commemoratur.

Praeterea *Lucilii* praecepta de terminationibus ei et ai in libro satirarum nono prolata I 7, 15 et 19 tanguntur. Alterum Lucili locum etiam Velius Longus laudat, alterum Martianus Capella (p. 373. 4). Addit noster I 5, 56: 'Taceo de tuscis et sabinis et praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius insectatur (cf. Ritschl. parerg. Plaut. p. XVII)'.

Eodem loco (I 5, 56. VIII 1, 3) Quintilianus ait de *C. Asinio Pollione* (Teuffel. l. l. § 208, 3. M. Haupt. ind. schol. Berolin. 1855 p. 5): 'Quem ad modum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem'.

Praeterea quid sibi tradiderit *Q. Asconius Pedianus* (cf. Madvig. 'de Q. Asconio Pediano' Havniae 1828 p. 9. 19) Quintilianus narrat I 7, 24: '«Sibe et quase» scriptum in multorum libris est . . T. Livium ita his usum ex Pediano comperi, qui et ipse eum sequebatur'.

Denique bis laudantur *Augusti* epistulae: scilicet I 7, 22: 'Quod idem (sc. «heri») in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur' et I 6, 19: 'Sed Augustus quoque in epistulis ad C. Caesarem scriptis emendat, quod is «calidum» dicere quam «caldum» malit, non quia id non sit latinum, sed quia sit otiosum et, ut ipse Graeco verbo significavit, περίεργον'. Laudatur etiam a Gellio 15, 7, 3 'liber epistularum divi Augusti, quas ad Gaium nepotem suum scripsit'.

# Neuer Verlag

von

## B. G. Teubner in Leipzig.

## 1873.

### Philologie und Alterthumswissenschaft.

**Bursian, Conrad,** Geographie von Griechenland. Vollständig in 2 Bänden. Mit 15 lithographirten Tafeln und einer von H. Lange gezeichneten Karte von Griechenland. gr. 8. geh. n. 6 Thlr.

Einzeln:
I. Band. Das nördliche Griechenland. Mit 7 lithogr. Tafeln. [VIII u. 384 S.] n. 2 Thlr.
II. — Peloponnesos und Inseln. Mit 8 lithogr. Tafeln und einer von H. Lange gezeichneten Karte von Griechenland. [IV u. 618 S.] geh. n. 4 Thlr.
Karte von Griechenland, gezeichnet von H. Lange. Royal-Folio. n. 12 Ngr.

**Holtzmann, Adolf,** germanische Alterthümer mit Text, Uebersetzung und Erklärung von Tacitus' Germania. Herausgegeben von Alfred Holder. [IV u. 313 S.] gr. 8. geh. n. 2 Thlr. 20 Ngr.

**Homeri Ilias** ad fidem librorum optimorum edidit J. La Roche. Pars prior [VI und 361 S. mit 2 lithogr. Tafeln]. gr. 8. geh. n. 3 Thlr. 20 Ngr.

**Jahnsson, A. W.,** de verbis Latinorum deponentibus commentatio grammatica. (Helsingfors 1872.) [IV u. 108 S.] gr. 8. geh. n. 16 Ngr.

**Iuvenalis, D. Iunii,** saturarum libri V. Erklärt von A. Weidner. [VI und 342 S.] gr. 8. geh. 1 Thlr. $7\frac{1}{2}$ Ngr.

### Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana.

**Ciceronis, M. Tullii,** epistolae. Recognovit Dr. A. S. Wesenberg, praeceptor primarius scholae cathedralis Viburgensis. Vol. II. Insunt epistolarum ad Atticum libri XVI, ad M. Brutum libri II, epistola ad Octavianum. [IV u. 659 S.] 8. geh. 1 Thlr.

Früher erschien:
Vol. I. Insunt epistolarum ad familiares libri XVI, ad Quintum fratrem libri II. Q. Tullii Ciceronis de petitione consulatus ad M. fratrem liber 1872. 1 Thlr.

**Daretis Phrygii de excidio Troiae** historia recensuit Ferd. Meister. [LII u. 67 S.] 8. geh. 12 Ngr.

**Dracontii** carmina minora plurima inedita ex codice Neapolitano edidit Fr. de Duhn. [VIII u. 114 S.] 8. geh. 12 Ngr.

**Theodori Prodromi** Catomyomachia ex recensione Rud. Hercheri. [II u. 28 S.] 8. geh. 5 Ngr.

## Schulausgaben griechischer und lateinischer Klassiker mit deutschen Anmerkungen.

**Cicero's Rede für Cn. Plancius.** Für den Schulgebrauch erklärt von Dr. E. Köpke. 2. Aufl. [IV u. 109 S.] gr. 8. geh. 12 Ngr.

**Homer's Odyssee.** Für den Schulgebrauch erklärt von Dr. K. F. Ameis. I. Band. 2. Heft. Gesang VII—XII. 5. vielfach berichtigte Aufl. Besorgt von Dr. C. Hentze, Oberlehrer am Gymnasium zu Göttingen. [175 S.] gr. 8. geh. 12 Ngr.

**Platon's** ausgewählte Schriften. Für den Schulgebrauch erklärt von Chr. Cron und Julius Deuschle. III. Theiles 2. Heft: Euthyphron. Für den Schulgebrauch erklärt von Dr. M. Wohlrab, Professor am Gymnasium zum heiligen Kreuz in Dresden. [VI u. 42 S.] gr. 8. geh. 5 Ngr.

**Plautus'** ausgewählte Komödien. Für den Schulgebrauch erklärt von Jul. Brix. Erstes Bändchen: Trinummus. Zweite Auflage. [VI u. 132 S.] gr. 8. geh. 12 Ngr.

**Sophokles.** Für den Schulgebrauch erklärt von Gust. Wolff. III. Theil: Antigone. 2. Auflage. [VI u. 162 S.] gr. 8. geh. 10 Ngr.

UNIVERSITY OF ILLINOIS – URBANA
N30112023700575A

Druck von B. G. Teubner in Leipzig.